MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80111-8

AUTHOR:

ANSPACH, AUGUST EDUARD

TITLE:

DE BACCHIDVM PLAVTINAE...

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1882]

Master Negative #

91-80111-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87PN
DA

Anspach, August Eduard, 1860-
De Bacchidvm Plavtinae retratactione scaenica, libellvm scripsit...E. Anspach... Bonnae, Havptmann, [1882]
61 p. 20 cm.

Thesis. Bonn.

12503

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/25/91   INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE BACCHIDVM PLAVTINAE RETRATACTIONE SCAENICA

LIBELLVM SCRIPSIT ET AD RITE CAPESSENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADIDIT ET DEFENDET PVBLICE CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XV MENSIS FEBRVARII A · MDCCCLXXXII HORA XI

E · ANSPACH
VILBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT

PETRVS SONNENBVRG
IOHANNES KREVTZER
IOHANNES POPPELREVTER

BONNAE
TYPIS EXPRESSIT P · HAVPTMANN
VENDET ‚RHEINISCHES BVCH- VND KVNST-ANTIQVARIAT'

FRANCISCO · BVECHELERO

HERMANNO · VSENERO

D · D

Plauti fabulas aliquanto post poetae mortem denuo in scaenam inductas esse nemo est nostra aetate quin sciat. quod qui fecerunt, multa in fabulis commutauerunt: addiderunt nonnulla, alia resecuerunt. neque singulos modo uersus aut paruum uersuum numerum arbitrio suo subegerunt, sed nonnumquam totas eiecere actiones plautinas, ut suas subponerent. uelut prologi fabularum omnes fere ab histrionibus post defunctum Plautum conscripti sunt deletis nonnumquam poetae uersibus; Poenuli plautinae duplex exstat exitus. iam qui textum plautinum in eam quam nos habemus formam redegerunt, cum pluribus ac uariis uterentur exemplaribus, ea ex illis elegerunt, quae Plauti esse uiderentur. ac saepe factum est, ut sensu congruentia, nonnumquam etiam uerbis fere eisdem expressa componerent aliaque licet aliena inter se essent ac diuersa cohaerere uellent. cuius rei uestigia cum satis multa exstent in nostro textu, criticos oportet homines plautina seruare, aliena segregare.

Atque inter recentiores de hac re disseruit *Osann* in *analectis criticis* a. 1816 editis. qui cum omnia ad duplicem recensionem uellet referre, rem certam paene incertam reddidit. *Ladewig*, criticus subtilis, *Osanni* coniecturae plane diffidit. at *Osanni* defendit sententiam muniuitque uia ac ratione *Ritschl.*[1]) is et socius eius in emendando Plauto *Fleckeisen* in editionibus et commentationibus uitia plurima bene cognouerunt, nonnulla ipsi nimis cauti cum essent aliis sananda reliquerunt. deinde *Theodorus Bergk* aliique non pauci huic Plauti emendandi generi salutarem nauarunt operam. quorum uirorum scriptis dissertationem nunc in animo habeo addere *de Bacchidum plautinae retractatione scaenica.* eandem fabulam iam *Gualtharius*

[1]) quamquam falsas eius opiniones non dubitauit refellere, cf. *parergon plautin.* pag. 391 ss.

Brachmann in dissertatione inaugurali a. 1880 Lipsiae edita [1]) *de Bacchidum Plautinae retractatione scaenica capita quinque* tractauit, [2]) uerum neque ad omnia adcessit, neque de illis quae adgressus est recte semper iudicauit. quare operae duxi pretium, denuo totam fabulam ab initio perlustrare, aptiusque mihi uisus sum in perscrutandis duplicis recensionis uestigiis ordinem sequi actionis, quam primum ea tractare, quae iam alii studuerunt sanare, tum illa, quae esse sana adhuc crediderunt, ego pro conturbatis habeo. [3]) animaduerte igitur bone lector et oculorum mihi operam dedica.

Act. I, 1.

Iam in prima quae seruata est actione duplicis recensionis clara cernuntur uestigia. [4])

Euoluas quaeso *Ritschelii* editionem ac legas uersum 35 ss.

Bac. Quid, si hoc potis est ut tu taceas, ego loquar? sor. lepide, licet.
Bac. ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subuenias, soror.
sor. pol magis metuo mi in monendo ne defuerit oratio.
Bac. pol ego metuo lusciniolae ne defuerit cantio.
sequere hac.

aperte hoc soror in uersu 37 dicere uult: *metuo ne cum te commonefaciam mihi uerba desint.* quare, utut metri uitium tolletur, [5]) hunc post uersum omnino claudicat u. 38 *pol ego metuo lusciniolae ne defuerit cantio.* itaque *Ritschl* (in opuscul. II p. 301) uersum antecedentem uersus 38 putauit esse interpretamentum, tribuitque sorori uersum 38. uereor ut recte. alienae memoriae optime succurrit monentis oratio, at uoluntaria est ac suae spontis lusciniae cantio. iam confer uersum 34

[1]) exstat etiam in *Studiorum lipsiensium* uolumine III.

[2]) post *Brachmannum* de *Bacchidum* locis nonnullis disseruit *Vahlen* in *Hermae* uol. XV p. 258 ss. paullo ante *Langen* in libro *zur Kritik und Erklärung des Plautus.* Ceteros qui de Bacchidum locis singulis scripserunt, suis locis commemorabo.

[3]) in sequentibus editionis *ritschelianae* me adhibere uersuum numeros scito.

[4]) cf. *Brachmannum* l. l. p. 178.

[5]) *Bernaysii* coniecturae *optio* omnino locus non est.

nam tu quidem credo excantare quoiuis facile cor potes. eum satis sagaciter *Ritschl* in uersus 35 ss. confinio stetisse suspicatus est, tamen interpretatione illius non prorsus contentus sum. nam conecti debere arbitratur cum fragmento antecedente *argentum hinc facito,* ut totius loci sententia haec sit: Bacchis adloquitur sororem: necesse est ab amatoris tui amico aurum tibi facias, quod facile exsequi poteris, nam tu excantare cuiuis facile cor potes. ad quae soror se sibi diffidere rursusque Bacchis *quid, si — ego loquar?* tamen frigidum est cum Bacchis dixerit *tu omnia precario ab adulescentibus potes inpetrare,* iam respondere sororem, se sibi non confidere. immo hanc fuisse fragmenti illius (u. 34) propriam sententiam equidem pro certo habeo: Bacchis ait *argentum hinc facito*, cui soror: melius tu inpetrabis ab illo, nam tu excantare cuiuis facile cor potes. tum Bacchis non potuit sane respondere *quid si — ego loquar?,* sed *pol ego metuo lusciniolae ne defuerit cantio.* optime enim *cantio* respondet excantandi uerbo. et suspicor cohaesisse uersus 34 et 38. sed quid faciemus uersibus 35—37? alteram praestant recensionem. Bacchis ait *argentum hinc facito*, ad quae soror male se id adsecuturam; cui Bacchis *quid, si hoc potis est ut tu taceas, ego loquar?* iam orat hac in recensione Bacchis sororem, ut se in adliciendo Pistoclero adiuuet, quod omisit in priore. cuius uarietatis nobis adparebunt uestigia etiam in reliqua oratione.

Videamus primum quid sibi uelint illa (u. 75):

Simulato me amare.

loquitur Bacchis sine dubio, non soror. sensus uerborum hic est: si tu me re uera amare non uis, tamen simulato me amare. sed ubinam in antecedentibus Bacchis dixerat se uelle a Pistoclero amari? nam inde a uersu 52 hoc tantum indicatur, Pistoclerum cum meretricibus nolle intrare, cum metuat ne ad flagitium inliciatur. restant uu. 49—51, ubi sane inuenitur *dedero — sauium* (u. 49). iam sentis non commode posse intellegi uersus 75 ss. si intercedant uu. 52—72. deinde sensum hiare post uersum 51 audacter contendo. uersus 52 coniungi debet

cum uersu 48 et uersus 51 — cum uersu 73. nam ne u. 73 [1]) quidem bene sequetur uersum 72. quare enim nunc aspellit Pistoclerus uirginem? uersus 51 recte intellectus nobis sententiam confirmabit. ubi uerbis:

perii: arundo alas [uerberat] [2])

fere hoc dicitur, meretricem Pistoclerum amplexam esse. ut arundo auium alas ferit, ita illa bracchiis adulescentis umeros tetigit. quod cum faceret Bacchis, statim eam repellit Pistoclerus: *apage a me* etc. ad quae illa: *nimium ferus es,* eadem utens imagine: nimium fera tu auis es. quare mihi non dubium est, cum nil praeterea noui adferant uersus 75 ss. post uersum 58 ss., quin uersuum 49—51+73—88 una illa sit recensio, ubi soror Bacchidem in adulescente inliciendo non adiuuet; altera uersuum 52—72, ubi illa quoque adeat Pistoclerum. posteriori etiam uersum 92 adsigno, qui molestus est post uersum 91, cohaerere autem uidetur cum uersu 90. prioris est uersus 91, qui conecti debet cum uersu 93: eademque hoc loco iuuenis inuenitur oratio atque in fabula extrema senis (u. 1198 s.):

Nic. Ut terebrat satin obfirmatum
quod mihi erat id me exorat?
tua sum opera et propter te inprobior.

Ceterum in uersibus 68 et 73 ss. Bacchis loquitur, non soror, [3]) in uersu 92 soror, non Bacchis. perpauca igitur soror uerba fecit, ut professa erat de se in uersu 37.

Iam utra Plauti sit recensio diiudicandum est. uersus illi graciles 49—51, 73—88 minime a Plauto profecti uidentur esse, aptiores sunt poetae posteriori. deinde uersum 53 parum

---

[1]) u. 73 in codicibus et post uersum 64 et post 72 legitur, quod librariorum ut uidetur errore factum est.

[2]) *uerberat* aut conruptum est, aut pro insolentiore uerbo positum. aptum adhuc non repertum. ceterum de hoc uersu conferas quaeso *Ritschelii* opuscul. II p. 362 adnot. hoc addam, nihili mihi quidem uideri esse scripturam *Ritschelii prope arundo alas uerberat* aut *Hermanni parum arundo alas uerberat.*

[3]) in actione tota duae meretrices discernuntur in codice B signis personarum, ut si Bacchis loquatur A uerbis praefixum sit, si soror E. quae codicis signa secutus, uersus singulos inter meretrices supra distribui.

probabile est post Plautum confectum esse ob caussam satis notam. plautini igitur sunt uu. 52—72. sequitur etiam uu. 35—37 Plauti esse, uersum 34 et uersum 38 adsignandum diasceuastae.

Porro in ipsa plautina recensione (uersibus 52 ss.) aliena dignosci possunt. in uersu 55 aperte hoc dicit Pistoclerus: *uereor ne a te ad flagitium inpellar: nam mala tu es bestia.* moleste iam sequitur *nam huic aetati non conducit mulier latebrosus lorus*, ubi alteram timoris sui caussam adulescens adfert. opinor coniunctum fuisse hunc uersum cum uersu 52 in altera recensione:

Non ego istuc facinus mihi(met) [1]) conducibile esse arbitror.
nam huic aetati non conducit mulier latebrosus locus. [2])

Eiusdem hominis uidetur esse uersus 67. quem male legi post 66 (cf. *pro disco damnum capiam* cum *ubi damnis desudascitur*) iam *Ribbeck* animaduertit apud *Ritschelium* in praefatione Stichi plautinae p. XVIII, qui ab interpolatore profectum esse arbitratur spectante uersum 428 *ibi cursu luctando hasta disco pugilatu pila.* seruare eum uoluit *Schneidewin* in Philologo V. p. 376 temptans coniectura. cauendum ne interpolatori plus tribuamus quam oportet. neque mihi interpolator, sed diasceuasta composuisse uidetur hunc uersum, ac non modo hunc sed etiam eum qui legitur post uersum 68: *ubique inponat in manum alius mihi pro caestu cantharum.* satis erat nostro loco aut cantharum aut scaphium (u. 70) commemorari: bis eiusdem modi res adferri molestum. adcedit quod in uersu 68, 70, 71, 72 non iam de palaestrae, sed de belli armatura loqui uidetur Pistoclerus: machaera, galea, insigne, hasta, lorica, equus; inque primis quod extremo loco legitur: *scortum pro scuto adcubet* nisi hoc modo non intellegitur: ut in bello

---

[1]) codd. *non ego istuc facinus mihi mulier conducibile esse arbitror.* eieci *mulier,* quod postea a librario demum uidetur inlatum esse.

[2]) comparare licet hoc loco uersum 430: *ibi suam aetatem extendebant non in latebrosis locis,* qui eiusdem uidetur esse diasceuastae: atque imago fere uidentur esse haec Pistocleri uerba illorum quae saepe a magistro eum audisse credibile est.

adulescens cum scuto adcubans dormit ita apud uos cum scorto. iam in uersibus 67 et 69 discus cursura caestus nominatur (similiter in uersu 428 cursus discus pugilatus). adparet non ab eodem scriptos esse uersus 67, 69 qui contexuit 68, 71, 70, 72,[1]) cumque non sit uerisimile diasceuastam conexuisse uersus 66 et 67, in altera recensione uersum uersus 66 similem exstitisse putabimus.

Vt repetam dicta: Plautinos hos arbitror uersus: 35—37. 39. 41. 40. 42—48. 52—55. 57—66. 68. 71. 70. 72. 89. 90. 92 ss.

Act. I, 2.

Secundam actionem cum *Schneidewin* in Musei rhenani nou. ser. tom. II p. 415 ss. enarraret, luculenta duplicis recensionis uestigia non uidit quae in ipsa inueniuntur.[2]) nam inspicias quaeso[3]) uu. 125 ss.

---

[1]) in uersibus 68 ss. instrumenta ut ita dicam conuiualia comparantur cum militaribus. in uersu 68 obponuntur inter se *machaera* et *turtur,* quae nihil simile habent. sed machaera dura est, turtur mitis res. iam — omittam uersum 69 — in uersu 70 galea et scaphium similia sunt, item in 71 lorica et pallium, non quae initio uersus extant hasta et talus. quare uersuum ordinem eum fuisse suspicor, quem supra proposui. tum sane *pro hasta talos* mutandum est.

[2]) nuper *Brachmann* l. l. p. 115 ss. hanc actionem adgressus est. *Seyffert* in *Studior. plautin.* p. 10 ss. de fine scripsit. *Fritzsche* tetigit in *Analect. plautin.* (in indice lectionum rostoch. a. 1877/78) p. 4 ss. *Teuffel* in Mus. rhen. tom. XXX p. 318 deleuit uersus 166 et 167. *Ladewig* in Philol. tom. XVII p. 269 male uersus 125—126 posuit post 131. cuius sententiam secutus *Goetz* in Actor. Lipsiens. uol. VI p. 320 uersus inserit post 112. *Vssing* in editione negans retractationis suspicionem esse ueram expunxit unum uersum 153.

[3]) in actionis initio ne quis putet diuersas recensiones uerbis *ornatu* et *pompa* diuersis sane commotus, conferat uersus Curcul. 1 s. ed. Goetz.

Pal. quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa Phaedrome?

neque illud omittam: uersus 111—112 *Brachmann* l. l. p. 120 ss. falso extare loco ratus est fatetur se non intellegere *hic* uersus 112. neque perspexit *Vssing* quid sibi uellet; qui *hisce* pessime coniecit, ut haec poeta diceret: nam Lycurgus uidetur posse hoc adparatu luxurioso nequam fieri. contendit *Brachmann*: *hic* neque de urbe neque de platea licere adcipere

Lyd. Non hic placet mi ornatus! Pi. nemo ergo tibi 125
hoc adparauit: mihi paratumst quoi placet.
Lyd. etiam me aduorsus exordire argutias?
qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.

Ladewig l. l. p. 269 in Pistocleri responso (u. 125 ss.) non argutias inesse sed inpudentiam contendit: quare uersus 125 et 126 posuit post 131, male ut iam *Goetz* l. l. p. 320 indicauit, qui tamen ne ipse quidem plautinam restituit recensionem cum conlocaret uersus post 112. in margine adscriptos fuisse uersus 125—126, tum falso a librariis loco inpositos esse ueri est dissimile. leuius sane quod male *percipiatur ex uersu antecedente repetitum uocabulum ornatus* (*Brachmann* l. l. p. 122). *Vssing* defendere eos uolebat. rursus expunxit *Brachmann.* quamquam ne mihi quidem bene inter se uidentur conecti uersus 125—128, tamen ob solam hanc caussam non adfirmarim, tali ordine ab ipso Plauto non potuisse scribi. sed male desideramus Lydi responsum post uersum 124. tum uersus 125—126 interrumpunt actionis totius enarrationem. quare hoc concedo, non ab ipso poeta ante uersum 127 conlocatos esse 125—126, sed a diasceuasta qui conexuit uersus 109—112 +125—126+127 ss.

Tertia cognoscitur recensio ex uersu 121 ss.

Pi. An non putasti esse umquam? o Lyde es barbarus 121
quem sapere nimio censui plus quam Thalem.
i stultior es barbaro Poticio,
qui tantus natu deorum nescis nomina. 124

In uersu 121 Lydus barbarus nominatur; idem in uersu 123 *stultior* barbaro Potitio. u. 122 minus bene coniungitur cum antecedente: adparet ex oppositis sapientia et stultitia at-

---

sed de solis aedibus meretriciis: itaque conlocauit uersus 111—112 post 117, ubi si quid uideo inepte positi sunt. uersus mea quidem sententia suo in codicibus loco scripti sunt. seruus Pistoclerum uidit obsonium ferentem ac statim scit a meretricibus captum esse. nunc dicit: si ille conruptus sit, mehercle etiam Lycurgus apud nos, in nostra urbe ad nequitiam potest adduci: quo quid melius hoc loco dicatur nescio. conferas autem ad locum nostrum Men. 258 ss. inque primis 183, ubi *hic* eodem sensu legitur: *dixin tibi esse* hic *sycophantas plurumos?*

que totius orationis forma conectendos esse uersus 122 et 123. iam uersus 124 arte cohaeret cum uersu 121. duplicem habes hoc loco recensionem:

A.

121 *An non putasti esse? hem quam o Lyde es barbarus,*
124 *qui tantus natu deorum nescis nomina.*

B.

123 *I stultior es barbaro Potitio,*
122 *quem sapere nimio censui plus quam Thalem.*

Vssing sane in comm. p. 385 haec scribit: *a Poticii autem mentione caussa cur commemoretur non est separanda: Ea ignoratio deorum uel rei diuinae est.* atque enarrat deinde [1]) Potitiorum [2]) gentem Herculis sacra multa per saecula administrasse, Appio autem Claudio Censore auctore ministerium illud seruis publicis tradidisse ipsosque intra dies triginta periisse. iam quo iure Festo confidens *Vssing* historiam illam adfert? ut demonstret Potitios fuisse stultos qui deorum nomina ignorarint? omisisset melius totam illam narrationem confessusque esset se nescire quare hic *Potitius* — *Poticio* praebent codices plautini, Paullus: *putitium Plautus dicit pro stulto* — referri possit ad gentem illam Potitiorum. obponi autem hoc loco inter se Thalem et Potitium equidem pro certo duco, cumque aliud dicat Pistoclerus in uersu 121, in uersu 123 aliud, ausus sum ita uersus segregare. [3])

Plautinam recensionem (A) esse uolui uersuum 121 et 124. uidetur enim uersus 122 et 123 qui scripsit, omittere uoluisse Lydi nomen. qua re ductus sit statim uidebimus.

In uersu 138 loquitur haec Lydus:

non paedagogum iam me, sed Lydum uocat.

---

[1]) Festum secutus qui (p. 217 editionis Muelleri) eandem illam historiam protulit ut clarius adpareret, quare hoc loco Potitium Plautus pro stulto adposuisset.

[2]) de Potitiis licet comparare: Liv. I, 7, 14. IX, 29, 9 s. 34, 18 s. Fest. p. 217 237. Dion. Halic. I p. 32 ed. Sylb. Seru. ad Aeneid. VIII, 269. Plut. quaest rom. p. 278 c. Macrob. III, 6. Valer. Max. I, 1, 17.

[3]) praeiuit partim iam *Bergk*, qui scripsit (Philol. XVII p. 52):

Quem sapere nimio censui plus quam Thalem
Is stultior est barbaro etc.

est barbaro in Festo seruatur: deprauatum tamen uidetur a librario.

nunc demum animaduertere uidetur, se non iam paedagogum nominari ab adulescentulo, quamquam bis antea *Lydum* non *paedagogum* Pistoclerus eum compellauerat (cf. u. 121 et 129). molesti porro sunt uersus 139 ss. post 115 ss. et 130 ss. neque bene legitur uersus 145 *tu amicam habebis?* post ea quae praecedunt in 143 et 144. quare persuasum habeo, non a Plauto confectos esse uersus 137—144. diasceuasta fortasse conexuit hos: 123+122+127+128+137—144+145 ss.

In actionis fine uersuum ordinem hunc tradunt codices: 161+162+159+160+163—165+168+169+166+167. quattuor uersus extremi redeunt in codice B post uersum 175 hoc ordine: 166 167 168 169. plures extare hoc loco recensiones nemo est qui neget: sed singulae discernendae sunt. iam in uersu 159 *occisus hic homost* eandem habes sententiam atque in uersu 158: *hic uereri perdidit* (cf. uu. 484, 485), cum uerba *ecquid in mentemst tibi patrem tibi esse?* (u. 159) repetere uideantur uersus 156 ss. sententiam. deinde uu. 166 167 quamquam non idem exprimunt ac uu. 161 162, tamen ex tota elucet oratione hoc loco alterum imitatum esse alterum: *edepol fecisti furtum, quom istaec* et — *compendium edepol fecisti, quom istanc.* recte porro *Brachmann* l. l. p. 117 obseruasse uidetur non posse non coniungi uersum 162 cum uersu 168 ss. nam flagitamus paene ad acerba illa Lydi uerba statim ut respondeat Pistoclerus. relinqui dicit ille in sequentibus uersus 163—165, tenues hoc loco ac frigidos: quos plautinam credit recensionem uicariam uersuum 132—133. neque tamen uidemus quo pacto in actionis finem peruenerint. sine dubio necesse est coniungamus uersus 159+160+163—165+168—169. atque equidem si quid sentio, bene hic conlocantur uersus 163—165, quibus purgare se uult Lydus, commotus suis ipsius uerbis: *ecquid in mentemst tibi patrem tibi esse?*

Iam recensionem alteram habes uersuum 161+162+168+169, neque quidquam in illis desideramus. tertiam denique hanc indico: uersuum 166+167+168+169. qua in recensione non fuisse positos uersus 147 ss. ex ipsis uersibus 166 ss. licet

concludere. nam u. 161 ss. Lydus tali modo inuehitur in Pistoclerum:

compendium edepol haud aetati optabile
fecisti, quom istanc nactu's inpudentiam

quae uerba debent eo referri, quod discipulus magistro interminatus erat. item res se habet in sequentibus: cf. uersus 163 164. aliter in 166 et 167, ubi flagitia tantum discipuli cum meretricibus facta ac futura respicere Lydum non opus est dici.

Sed ad ea nos uertamus quae antecedunt. nam ne illa quidem ab interpolationibus libera sunt. uersus 152 [1]) in codicibus legitur post 147, quo loco recte eum negauerunt *Acidalius, Bothe, Ritschl* poni posse. nam neque bene antecedere uersum 146, neque bene subsequi uersus 148 ss. inque primis 152 nemo negabit. quare Acidalius ordinem uersuum omnino mutauit, *Bothe* uersum 147 post 138 posuit, *Ritschl* melius post 151. tamen qua re factum est ut in codicibus extaret post 146? uersum 149 *Ritschl* interpretationem insequentis esse putauit, probauit *Fleckeisen* in editione, *Teuffel* (l. l. p. 318) alteram uoluit esse recensionem, *uiuo* conrigentes cum *Scaligero*. nam codices praebent talem: *uideo nimio iam multo plus* etc. nec quidquam mutandum esse censeo nisi hoc: *uideo iam nimio multo plus;* eum diasceuasta adiunxerat uersui 145: *quom uidebis tum scies.* a textus nostri concinnatore similitudinis caussa compositus esse uidetur cum uersu 150. eiusdem autem diasceuastae uidentur mihi esse uersus 149 et 166 167. qui, ut supra dixi, omisit uersus 146 ss. atque conexuit aut statim 149+166—169, aut quod mihi uerisimilius est, addidit uersus 159+160 uel similes post 149.

Sed quid faciemus reliquis? uersus 148 et 150 posse una conlocari male negauit *Brachmann* l. l. p. 119. nam non eadem continent ut uoluit ille, qui dittographiam existimauit uersum 150 et uersus 148+149, sed quasi caussa additur in uersu 150,

[1]) *Fritzsche* l. l. recte *Hermannum* in editione ordinem uersuum codicibus omnibus firmatum in uerribus 109—165 seruasse ratus, tenet etiam uersum 152 suo loco.

ob quam lubens nunc barathrum usurpet. uersus tamen 151 non bene mihi quidem uidetur subsequi uersum 150. melius adnectitur uersui 147. ne longus sim: has nos iure diuidemus recensiones:

A

uersus 145+146+147+151+152+148+150+159+160+163—165+168+169.

B

uersus 145+146+147+151+153—158+161—162+168+169.

quas recensiones qui conglutinauit omisit uersum 151, quem et ante 152 et ante 153 legi uideret, priore loco. ceterum plautinam esse recensionem A orationis neruis qui cernuntur in uersibus 136 et 145, et 148 et 150, 159 et 160, 163—165, — inprimis spectes quaeso enuntiata breuia illa et concisa, aptissima quidem animo paedagogi feruenti — commoueor ut credam. praeterea dubitari fortasse potest, num Plauti aetate qui fabulas spectabant sciuerint omnino qui Linus fuerit, qui Phoenix. diasceuastam arbitror deriuasse sua, et haec et illa u. 137 ss. quae item graecissant, e graeco exemplari, [1]) cum ipse Plautus paullo liberius egisset.

Has igitur inuenio in actione secunda recensiones:

A

u. 109—120+121+124+127—136+145+146+147+151+152+148+150+159+160+163—165+168—169.

B

u. 109—120+123+122+127—128+137—144+145+146+147+151+153—158+161—162+168—169.

C

u. 109—112+125—126+127—136+145+149+(159+160)+166—167+168—169.

Act. II, 2. [2])

Uersum 233 codices praebent talem:

[1]) id saepius in nostra fabula eundem fecisse animaduertemus.

[2]) uersum 192 miror *Hermannum* et *Ritschelium*, 194 *Ribbeckium* eiecisse (cf. *Ritsch.* praef. Stich. pl. p. XVIII). omnes quidem non ab uno

unde aurum efficiam amanti erili filio.

conrexit *Ritschl: ut aurum.* nam *unde* post *inde* uersus 232 molestum uidebatur. et est sane. tamen nil mutandum. uersus enim 233 dittographia est uersus 232 statimque ex sententia eius qui composuit secutus uersum 231. at dices: quare pro uersu 232 eoque optimo suum imposuit interpolator? fortasse uoluit ille orationem contrahere. nam uersus 239 et 240 in recensione plautina sine dubio cohaeserunt cum uersu 232. certe ubi nunc exstant male leguntur. eadem enim paene insunt in uersu 239 et 241.[1]) tum *extexam ego illum pulcre iam* dici nequit, si iam adest senex et quasi monstratur digito *adibo hunc.* neque cogitare licet Chrysalum cum diceret *extexam ego illum* nondum uidisse senem exeuntem ac uiso demum exclamasse *adibo hunc*, quia iam antea sibi dixit *sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?* denique uerba *haud dormitandumst* (u. 240) multo melius quadrant ante uersum 234: animo reuoluerat Chrysalus quid fieri nunc oporteret (u. 232); quasi ut se ipse adhortaretur iam addidit *haud dormitandumst*, quae minus bene dicuntur adstante iam sene.

Recensio igitur plautina hosce habuit uersus:

230 – 132+239 – 240+234 — 238+241 ss.

recensio altera: 230—231+233+234—238+241 ss.

Iure tamen in priore recensione post uersum 232 desideraremus aliquid, nisi illud inesse uideretur in uersu 239. *extexam ego illum* praebent codices; tamen *extexere hominem* quomodo potest esse spoliare, exuere, detondere? rectam ut

---

auctore uidentur scripti esse ad hunc locum, minus tamen ueri dissimile puto uersus 193 et 194 alienos ab hoc loco esse. adscripti erant similitudinis caussa in margine, postea recepti sunt a librariis in contextum. omnes ut solet seruat *Fritzsche Anal. plaut.* p. 5.

[1]) ideo *Brachmann* l. l. p. 136 abiudicat a Plauto uers. 239—240. similia sane legimus in uersu 776: *uorsabo ego illunc hodie si uiuo probe*, tamen cum *extexere* nusquam praeterea inueniatur, taleque ἅπαξ εἰρημένον non condonauerim nisi poetae ipsi, cumque *cruso Crusalo* Plauto ualde dignum sit, dubitabimus uersus illos ab eo alienos credere.

equidem credo *Buecheler* mihi subpeditauit interpretationem. alibi dicitur *contexere uineas*; Plautus ipse hac utitur imagine: *ad eum uineas pluteosque agam* (Mil. 266). similiter nostro loco de *machina* militari modo potuit dicere poeta: *eam ego extexam* id est ad finem perducam. infra uersu 350 exorsa haec tela dicitur sensu contrario. *illum* si recte traditum est, processit uersus *doli* nomen continens aut simile.

Act. II, 3.

Totam actionem adcurate perlegentes non fugiet garrulitate quadam uti Chrysalum. cui tamen non omnia licet concedere; nonnullos uersus certe ut a diasceuasta demum scriptos, e Plauti oratione segregabimus. quo in numero est etiam 286: *is lembus nostrae naui insidias dabat.* non culpabo hiatum uersus, quem ut effugeret iam *Pylades* scripsit *is nostrae naui lembus*, sed propter *eos* melius conectitur u. 287 cum superioribus quam cum uersu 286. adcedit quod lembum insidias dare naui ex parte magna inest in uerbis *is erat communis cum hospite et praedonibus.* denique adparet, quid geratur uersu 286 male pronuntiari ante uersum 287 *occepi ego obseruare eos quam rem gerant.* quamquam enim fortasse suspicatus est, tamen nondum resciuit naui dari insidias. intellegit demum in uersu 290 *quoniam sentio quae res gereretur.* quare credo a recentiore auctore intextum esse uersum 286 praetermittente ut uidetur uersus 287—293 et 282—285.

In uersu 287 et 291 monet *Brachmann* l. l. p. 132 repeti *quam rem gerant* et *quae res gereretur.* cautus tamen non indicat recensionum diuersitatem, quae omnino hisce in uersibus deprehendi nequit. neque recte haesit ille in uersu 299, qui quamquam superuacaneus uidetur esse post uersum 297 et 298 tamen loquaci condonabitur Chrysalo. miror autem non inuenisse eum diuersa in uersibus sequentibus. legis enim in uersu 302 *ut illi id factum sciscerent* h. e. ut illi comperirent aurum esse ablatum a naui (cf. Amphitr. V, 1, 117: *adcurro ut sciscam quid uelit*), in uersu 303 ss. *tristes ilico quom extem-*

pulo [1]) *a portu ire nos cum auro uident.* ipsi igitur adsunt et uident, quod elucet etiam ex uersu 301 *auferimus aurum (illim) omne illis praesentibus.* dubium igitur non potest esse quin 302 non ab eodem scriptus sit, qui composuit uersus 301 304. diasceuasta conexuit uersus 300+302+306.

Neque modo in his uersibus alterius recensionis uestigia nobis licuit deprehendere, sed etiam in illis qui deinde leguntur.

Nam uu. 307ss. iam a *Bothio* et a *Bergkio* (in diurn. antiqu. stud. a. 1850 p. 331) uituperati sunt. inepte audito esse Theotimum templi deae Dianae sacerdotem interrogare uidebatur Nicobulus: *quis istic Theotimust?* quam obrem *Bergk* uersum 307 posuit post uersum 308, 309 post 306. sed prorsus incredibile est, si illo ordine legebantur uersus in archetypis a librariis loco mutatos esse. Alia credo uia progrediendum est. eximamus interim uersum 307 e contextu.[2]) optime cum uersu 306 conectemus uersum 308. rursus tamen sensus hiat post uersum 311. interpretari non licet *quin* in uersu 312 positum. iam hisce uersibus (312 ss.) Chrysalus dicit pecuniam seruari publicitus ac senex intellegens uerba eius respondet: melius apud me priuatim seruaretur. mox in uersu 331 quaerit Nicobulus: *sed istic Theotimus diuesne est?* quid tamen, si publicitus pecunia seruabatur intererat Theotimus ipse diues esset necne? quoniam non ipse ille in potestate sua habuit pecuniam, sed ut custos in templo deae depositam seruauit. at potuit si pauper erat partem in suum usum conuertere. hoc uetuit ipsa templi religio ac deae. cf. Dion. Chrysost. orat. 31 p. 363 Dind. ἴστε που τοὺς Ἐφεσίους ὅτι πολλὰ χρήματα παρ' αὐτοῖς ἐστὶ, τὰ μὲν ἰδιωτῶν ἀποκείμενα ἐν τῷ νεῷ τῆς Ἀρτέμιδος, οὐκ Ἐφεσίων μόνον ἀλλὰ καὶ ξένων καὶ τῶν ὁπόθεν δήποτε ἀνθρώπων, τὰ δὲ καὶ

[1]) cod. *extemplo.* conrexit *Mueller plaut. pros.* p. 489.

[2]) tamen ne putemus cum *Brachmanno* (l. l. p. 133) ex glossematis uersum consutum esse, ita eum restituendum esse: *qui illic sacerdos est Dianas Ephesiae* dudum perspexerat *Buecheler* in *Grundriss d. lat. Decl.* p. 32. assensus est *Ritschl* nou. exc. p. 115 cf. p. 14 adnot.

δήμων καὶ βασιλέων, ἃ τιθέασι πάντες οἱ τιθέντες ἀσφαλείας χάριν, οὐδενὸς οὐδεπώποτε τολμήσαντος ἀδικῆσαι τὸν τόπον καί τοι καὶ πολέμων ἤδη μυρίων γεγονότων καὶ πολλάκις ἁλούσης τῆς πόλεως. Xenoph. anab. V, 3, 6 Ξενοφῶν — τὸ δὲ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Ἐφεσίας (ἀνάθημα) — καταλείπει παρὰ Μεγαβύζῳ τῷ τῆς Ἀρτέμιδος νεωκόρῳ — καὶ ἐπέστειλεν ἣν μὲν αὐτὸς σωθῇ αὐτῷ ἀποδοῦναι, ἣν δὲ — ἐπεὶ δ' ἔφευγεν ὁ Ξενοφῶν, κατοικοῦντος ἤδη αὐτοῦ ἐν Σκιλλοῦντι — ἀφικνεῖται Μεγάβυζος εἰς Ὀλυμπίαν θεωρήσων καὶ ἀποδίδωσι τὴν παρακαταθήκην αὐτῷ. Strab. XIV, 1, 23 ἱερέας δ' εὐνούχους εἶχον (οἱ Ἐφέσιοι), οὓς ἐκάλουν Μεγαβύζους, καὶ ἀλλαχόθεν μετιόντες ἀεί τινας ἀξίους τῆς τοιαύτης προστασίας κατῆγον ἐν τιμῇ πολλῇ. [1])

Duas igitur habemus recensiones: uersuum 312—314 unam, alteram uersuum 331 ss. priori etiam uersus 307 et 302 adsignandos esse puto:

Cru. Capimus consilium continuo: postridie 300
palam atque aperte ut illi id factum sciscerent 302
nos apud Theutimum omne aurum deposiuimus, 306
qui illic sacerdos est Dianas Ephesiae. 307
quin in eapse aede deae Dianae conditumst: 312
ibi publicitus seruant. Nic. occidistis me:
nimio hic priuatim seruaretur rectius. 314

Sequebantur iam uu. 315—330. 342 ss.

Altera recensio hosce habuit uersus: 299—301. 303—306. 308—311. 315—330. 331—334. 337—341. 342 ss. ubi omisi uersus 335—336, quos non licere ibi ferre iam *Brachmann* uidit (l. l. p. 133). facile conicias in recensione scriptos fuisse illius simili, in qua ad deae aerarium aurum delatum esse Chrysalus narrauit.

Sed priorum utra plautina est? habemus ex Menandri Δὶς ἐξαπατῶντι, quam nostrae fabulae exemplar fuisse satis certum est, fragmentum [2]) seruatum apud Phot. p. 50[b] et Suid.

[1]) ceterum conferre licet etiam *Hemsterhusium* ad Luciani Timon. c. 22. *Bernaysium Heraclit. Briefe* p. 106 s.

[2]) fragmenti sensum perspexit *Ritschl* in *parergon plaut. et terent.* p. 408.

s. v. ζάκορος:

οὐ Μεγάβυζος ἦν
ὅστις γένοιτο ζάκορος;

Chrysalus narrauerat Mnesilochum aurum deposuisse apud Theotimum deae Ephesiae ministrum. interrogat Nicobulus: οὐ Μεγάβυζος ἦν; sane, respondet seruus sed hic Theotimus Megabyzi est filius. uidemus etiam a Menandro Chrysalum inductum esse dicentem se aurum ad Dianae sacerdotem portasse. credat aliquis, eam fabulae recensionem, quae cum Menandro congruat, esse plautinam. tamen dubitandum, num iam tum templum Dianae Ephesiae Romanis ita fuerit notum, ut statim intellegere possent, quid poeta diceret. iam in recensione ampliore tam longe recessit a fonte graeco qui composuit, ut non ausim recentiori diasceuastae eam tribuere. immo longiorem eamque magis propriam contexuit Plautus, breuiorem magis exemplari graeco aptauit diasceuasta. quam sententiam nostram etiam historia uidetur tueri. *Ladewig* enim fortasse recte contendit (in Philol. XVII p. 267) Plautum, cum ipse scriberet uersum 332 *quin auro(d) habeat soccis subpactum solum,* talia auditores uoluisse monere, qualia legimus apud Valer. Max. IX, 1 ext. 4 de Antiocho Syriae rege: *cuius caecam et amentem luxuriam exercitus imitatus magna ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit.* [1])

In eadem actione uersus 359—360 *Brachmann* l. l. p. 134 male tribuit interpolatori. primum enim *quid mihi fiet postea* in uersu 360 optime legitur post *sed quid futurumst* uersus 358; neque satis facit nobis illud *quom hoc senex resciuerit* per se solum positum, quod facile referas ad uerba ante-

[1]) at fatendum est non tam luculentum praesidium uersibus illis esse paratum a uerbis Valerii Maximi, quam uidetur *Brachmanno* l. l. p. 133 adn. 3. nam confer Plut. uit. Alex. Mac. 40 in. Ἐπεὶ δὲ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑώρα (Ἀλέξανδρος) παντάπασιν ἐκτετρυφηκότας καὶ φορτικοὺς ταῖς διαίταις καὶ πολυτελείαις ὄντας, ὥστε Ἅγνωνα μὲν τὸν Τήϊον ἀργυροῦς ἐν ταῖς κρηπῖσιν ἥλους φορεῖν. facile Graecis talis superbia in prouerbio esse potuit; ita ne apud Plautum quidem uerba illa ad Antiochum referenda essent.

cedentia *quas ego hic turbas dabo* cum referri oporteat ad omnia: et se ludos factum esse a filio seruoque, et illos auro abusos esse. ac ne quis offendatur altero uocabulo *sciuerit* inlato post *resciuerit*, pro quo aut *resciuerit* aut *sciet* postulat *Brachmann*, comparet Mil. gl. 908 s.

atque huius uxorem (esse) te uolo adsimulari. — fiet. —
quasi militi animum adieceris simulare. — sic futurumst.

denique cur addiderit diasceuasta uersus illos non uidemus. retinebimus igitur uersus 259—360, nisi qui grauiores adferat caussas, quibus interpolatos esse demonstret. aeque male *Brachmann* de fine actionis nostrae iudicauit, ubi ut alteram recensionem eiecit uersus 363 et 365, deleuit omnino uersum 364. iure sane suo offensus erat. nam non licet coniungere uersum 364 et 365: si reprehensus erit seruus, non iam ex urbe rus aut inuicem rure in urbem uadet. omitto quod serui fugitiui (nam *aufugere* de illis adhibetur) non modo uirgis caedebantur sed cruci adfigebantur. accedit quod uerba *macto illum infortunio* (u. 364) melius per se ponuntur. quomodo denique licet interpretari *aufugero hercle si magis usus uenerit?* [1]) equidem pro certo habeo uersus hoc ordine esse conlocandos:

365 *Si illi sunt uirgae ruri, at mihi tergum domist.*
363 *aufugero hercle si magis usus uenerit.*
364 *si ero reprehensus — macto illum infortunio.*

primum si senex aduenerit euadet seruus rure in urbem. tum si *magis* usus uenerit aufugiet, non iam effugiet. si denique reprehensus erit — mactabit illum infortunio.

Sed quaerendum, num uersus illi a Plauto ipso hoc loco positi sint. *Brachmann* l. l. p. 135 responsi naturam in uersibus 361—362 et 363 ss. ancipitem esse recte contendit. male porro sequitur u. 365 uersum 362. nam si senex *Crucisalum* faciet ex *Crusalo*, non adferet uirgas, sed cruci adfigendum curabit seruum. cf. uersum 687 s. *hem istoc dicto dedisti hodie in cruciatum Crusalum, nam ubi me adspiciet ad carnuficem*

[1]) totum locum non satis perspexit *Langen* l. l. p. 163, qui tamen recte explicauit *usus uenerit:* si necessarium uidebitur.

rapiet continuo senex. tamen non ausim uersus 365+363+364 a Plauto alienos iudicare. tum sane uersus 361—362 Plauti esse nequeunt. quidni autem etiam a recentiore scriptore boni aliquid profectum esse putamus — nam pulcerrime sine dubio ad Crusali nomen adluditur uoce Crucisali — praesertim cum ipse Plautus uiam praemonstrauerit uersu 687? praeterea de uersus 361 forma comparare licet Amphitr. I, 1, 148: *formido male ne ego hic nomen commutem meum et Quintus fiam e Sosia.* addo porro: si pater sciuerit filium et seruum auro abusos esse, iam rediit Epheso; uidetur igitur qui scripsit uersus 361 362 omisisse uersum 360. [1])

Act. III, 1.

Actionem III, 1 ab interpolatore temptatam esse omnes uiri docti concedunt. uersus 377 378 deleuit *Ritschl* in editione; cf. *Teuffelium* in Mus. rhen. uol. XXX p. 318. iam *Guyetus* uersus 379 - 381 delerat. *Bergk* in diurn. antiq. stud. a. 1850 p. 330 ss. talem recensionem primam constituit: u. 375+376+379+380+381+383+384. alteram hanc uoluit esse: u. 375+376+379+377+378+382+384. *Goetz* nuper l. l. p. 259 s. expunxit uersus 377+378+383. *Vssing* (*Goetzium* secutus ut ait) uersus 379—382 uncis inclusit. *Fritzsche* l. l. p. 6 seruat uersus 377 378, delet 380, addit in uersu 381: *(quos) tua infamia.* etiam *Langen* l. l. p. 164 nonnulla sine dubio recte perspexit. eodem fere tempore Brachmann de hac actione disseruit (l. l. p. 123—125) et uersus 368—378 382 condemnauit.

Versus 382 et 383 conectere non licet, alteruter eiciendus uidetur. ac 383 aptissimus est Lydo magistro. nam cum

[1]) neglegenter ut saepe abiecit *Vssing* versus duos extremos huius actionis. plane non intellexit *hanc fabricam dabo super auro.* de reliquis licet dubitare num sana sint; nam zeugmatis illa figura quam adhibent huic loco (cf. *Brachm.* l. l. p. 135 adn. crit.) insolentior uidetur. sed sananda sunt uerba, non eiciendi uersus. an uersus deest?

filii educatio ei concredita esset, omnem culpam in ipsum delaturus fuit pater, si audisset filium esse conruptum et malum. similiter in uersu 168 Lydus dixerat *peior magister te istaec docuit non ego.* uersum igitur 383 non a Plauto abiudicabimus, cum conueniat animo moribusque paedagogi. quaerendum in antecedente uersu quid sit *malum istoc addis.* referri id oportere ad uersum 378 nemo negabit credo. dictum erat Pistoclerum adfectare ad probrum damnum flagitium una adpellere patrem, amicos, paedagogum. nunc ait seruus *priusquam malum istoc addis* hoc est: priusquam re uera ad flagitium damnum nos adpellas, *dicam patri.* neque omnino *priusquam malum istoc addis* loquentem fecisset seruum poeta, si antea dixerat *adfecisti nos infamia*, sed *priusquam maius etiam malum addis*; nisi Lydus malum non esse putauit, quod filius patrem ceteros figulos sui ipsius flagitii fecerat. sed adcedamus ad ipsos uersus 377 s., quos non posse ferri iuxta uersus 380 s. omnes uno ore consentiunt. quin uersum 378 subiungi non posse uersui 376 audacter contendo. nam quo iure Lydus, cum dixerit *ut celem Pistoclere tua flagitia aut damna aut desidiabula*, quo iure, inquam, pergit *adfectas — me teque — ad — damnum flagitium adpellere una? Fritzsche* quod coniecit *me tecum*, ne id quidem nobis satisfacit, praeterquam quod longius diuellitur *una* in uersu 378. pessime autem sonant *adfectas — ad probrum damnum flagitium adpellere* post *tua flagitia aut damna aut desidiabula.* nihil tamen uituperandum est in uersibus ita conlocatis:

379 *neque mei neque te tui intus puditumst factis quae facis,*
377 *quibus patrem et me teque amicosque omnis adfectas tuos*
378 *ad probrum damnum flagitium adpellere una et perdere.*

sed non placet quod uersum 479 segregauerim a uersibus 480 s.? iure fecisse mihi uideor. nam uersus 480 s. abhorrent omnino a nostra fabula; mihi ueri simile est, adscriptos illos fuisse in margine tales:

qui tuom patrem meque una amicos adfinis tuos
tua(d) infamia fecisti gerulifigulos flagiti

tum in textum receptos esse a librario. *adfinis* suo iure uituperauit *Fritzsche* (l. l. p. 6), sed seruare debuit uersum una cum sequente; *fecisti* nunc omnino non licet intellegere, neque *tua(d) infamia*. dicta uidentur haec in eum, qui cum uxorem haberet infamis erat meretricum amator.

Versum 378 arte cohaerere dixi cum uersu 382; cui tamen uersui adnectemus 383 resectis 380 s., ad quos pertinere uidebatur? Nonius nos docebit. p. 75 haec tradidit: *affectare: afficere. Plautus Bacchidibus: tua flagitia aut damna aut dispoliabula, quibus patrem et me teque amicosque omnis adfectas tuos.* adparet solummodo uersum 377 exstitisse in Nonii exemplari, ac non uersus 377 et 378. aliter *adfectare* non uoce *adficere* reddere potuisset. porro secutus est uersus 377 uersum 376, quocum solus perbene coniungi potest: is uersus 377 conectendus denique est cum uersu 383.

Neque solum in fine, uerum in initio quoque actionis duae inueniuntur recensiones.[1]) nam uu. 371—374 ab hoc loco nunc prorsus abhorrent. in uersu 369 s. Lydus dixerat, nisi pessimos homines in Bacchidum aedes nullos intrare. respicit sine dubio Pistoclerum discipulum, exspectes ut porro de flagitiis eius loquatur. at praetermisso illo iam in meretrices inuehitur. etiam quo iure in uersu 373 dicat *omnis ad perniciem instructa domus — est* mihi uelim exponas. nam quomodo illi, qui dudum conrupti sunt (u. 369), porro ad nequitiam possunt adduci? diuersas habes elocutionis ut ita dicam imagines, quae produnt auctorem diuersum. ac si me audies, conectes uersus 370 et 375 ss., alteriusque recensionis hos fuisse putabis 371[2])—374. Plauto certe hanc tribuemus recensionem: uersum 368—370. 375—377. 383—384.

Iam uidebimus infra recensionem, in qua statim seruus ex aedibus meretriciis excurrat neque omnino *flagitia* Pistocleri uiderit. cf. uersus 479—480+486—488. similiter hoc loco Ly-

[1]) *Brachmann* p. 125 ea quae anteuertunt uersum 379 solius recensionis B fuisse credit.

[2]) in uersu 371 diasceuasta imitatus uidetur esse Plauti uersum 53.

dus loquitur *neque puditumst factis quae facis, quibus patrem et me teque amicosque adfectas ad flagitium adpellere una et perdere:* ipse igitur Pistoclerus nondum *flagitium* commisit. de tota autem actione bene monuit *Ladewig* in Philologi tomo XVII p. 263, mirum esse nunc demum Lydum ex aedibus meretriciis exire, cum Pistoclerus iam in actione II, 2 solus egressus esset, neque cogitari posset Lydum solum remansisse. quare ille fabulam nostram sibi persuasit esse e numero contaminatarum Plauti fabularum [1]) cuius opinionem falsam bene refellit *Goetz* l. l. p. 315 ss.[2]), quamquam permirum esse concedit Lydum nunc demum a poeta reduci in scaenam. permirum sane est neque existimauerim commissum esse uitium illud scaenicum ab auctore graeco, si omnino potuerit effugere; atque potuit certe. Plautus fortasse non ita curauit. num contaminationis uestigium hoc relictum sit nunc non opus est diiudicare. grauius est, quod ut uersus indicat 374 *quae ut aspexi me continuo contuli protinam in pedes* a diasceuasta quodam certe ad graeci exemplaris similitudinem actio nostra statim post actionem I, 2 posita est. [3]) neque enim inponere potuit ille hunc uersum si omnibus quae nunc praecedunt peractis tum demum Lydus ex aedibus egressus est.[4]) dicat quispiam, illam actionem si diasceuasta ante II, 1 posuerit longius auelli ab ea, in qua Lydus cum Philoxeno sene incedat: III, 3, nam interpositae sunt tres (uel quattuor) actiones uersuum fere 216. sed uide actionem parasiti quam longe absit ab illa ubi miles uenit, quem item se aduocaturum esse parasitus minitatus erat; interpositae sunt quattuor actiones uersuum fere 230. neque offendet

[1]) cf. eundem *Über den Canon des Volcatius Sedigitus* p. 28 et Philol. II p. 262.

[2]) secutus *Ritschelium Über die ursprüngliche gestalt der plautin. Bacchides* in opusc. II p. 292 sq. et *Teuffelium* in *Studien und Charact.* p. 256.

[3]) cf. etiam *Brachmann.* l. l. p. 125 adnot. 2.

[4]) licet comparare Terenti Hecyr. III, 3, 5 Umpfenb., ubi *partim quae perspexi his oculis partim quae adcepi auribus qua me propter exanimatum citius eduxi foras* Pamphilus dicit in actionis III, 3 initio, qui in actione III, 1, 46 domum ingressus, in actione III, 2, 17 iam excesserat.

quod ibi statim excurrit Lydus postquam intrauit, aut hic si demamus Lydi soliloquium extemplo Mnesilochus inducitur, qui omnes res, quas ei Chrysalus deferre uoluerat iam teneat. nam uide act. IV, 9, ubi iam adest Chrysalus, in actione praecedente dimissus, ut filium conueniret Mnesilochum eumque uituperaret. quin adfert ille epistulam a filio scriptam[1]. tamen nescimus omnino, num diasceuasta ordinem actionum plautinum seruarit. mox eum cognoscemus nonnulla mutasse huic generi proxima.

Act. III, 2.

Mnesilochus secum loquens laudat Pistoclerum amicum, qui sibi operam dederit de inuenienda Bacchide. laudat etiam serui facinus, qui auro patrem emunxit. ubi quomodo cohaerere possit uersus 394 cum antecedente non uideo[2], licet pro codicum lectione *sed eccum uideo incedere* concedamus exstitisse *aequomst id ei reddere* (Muret. Var. lect. XIII, 18). uersum 394: *nam pol meo quidem animo* etc. ferremus si antecederent talia: *iam uolo id ei reddere*. sed mittamus interim hunc uersum. etiam u. 395 a loco nostro prorsus abhorret. quis enim est *malefactor*, quis *beneficus*, quis *amittitur*, quis *non relinquitur*? quocum uersu recte puto conecti uersum 397 — conrecto quod codices habent *illum* in *illuc*, nam pro *hunc* eidem bene seruarunt *hoc* — quem non posse coniungi cum uersu 396 futura docent *laudabunt, culpabunt*. hos uersus (395 et 397) similitudinis caussa in margine olim credo adscriptos fuisse. qui relinquitur uersus 396 cohaeret cum uersu 394, ita tamen, ut

---

[1]) cf. act. I, 1 — I, 2 ubi rursus adest Pistoclerus quem in I, 1 Bacchis dimiserat.

[2]) prorsus alienos esse uersus 394 ss. a fabulae nostrae argumento *K. H. Weise* putauit, qui in editione uncis inclusit uersus 493/2 — 403/2. secuti sunt *Ritschl* in editione, *Goetz* l. l. p. 286. *Brachmann* l. l. p. 92 ss. *Kiessling* in *Anal. plaut.* p 17. adn. pleraque sana esse indicat, uersum tamen 396 utpote ex uersu 394 male detortum esse eiciendum sibi persuasit. etiam *Fritzsche* l. l. p. 7 et *Vssing* in editione negant ueram esse *K. H. Weisii* coniecturam.

in recensione genuina hoc ordine positi fuerint: 396+394. quos satis bene sequetur uersus 398 mutato tantum *te* pro *me*. sed ne uersus 396 quidem coniungi potest cum uersu 393. porro uersus 400 *sisne necne ut esse oportet* post uersum 398 *magis cum cura esse — est opus* male fertur. difficultas tollitur si talem fuisse uersuum ordinem putabimus:

u. 393+399—402+396+394+398+403—404.

nunc optime post *aequomst id ei reddere* legitur: *nunc — specimen specitur —, sisne necne ut esse oportet.*

Iam uidendum est quomodo uersus 394 ss. in textum inrepserint, utrum ab interpolatoribus scriptos putemus an plautinos.

Primum igitur hoc mihi recte uidetur animaduertisse *Vssing*, non bene potuisse fieri ut poeta canticum nostrum tam subito relinqueret.[1]) lege enim uersus 392 s.

condigne is quam techinam de auro aduorsum meum fecit patrem
ut mihi amanti copia esset.

quonam necessitatis uinculo cohaerent cum antecedentibus? certe non scripsisset eos Plautus si pergere uoluisset in abruptum: *sed eccos uideo incedere.* at uersus 399 e Casin. III, 1, 2 fluxit[2]) *nunc specimen specitur nunc certamen cernitur.* potuit sane imitari diasceuasta Casinae uersum; sed quidni Plauto bis eundem in diuersis fabulis licuit proferre? certe licuit Euripidi, aliis. at Terentium imitatus est.[2]) nam legimus in Phormione uersum hunc (203):

tanto magis te aduigilare aequomst. fortis fortuna adiuuat.

Concesso similis esse uersus, quidni Terentius Plautum potuit excerpere? quod fecit certe nonnullis in uersibus. tamen hoc loco si Terentium derivasse sua e Plauto (u. 398) putamus, non possumus non arbitrare totas comoedias alienis eum pannis exornasse. neque quod in reliqua fabula seruus non adficitur praemio a Mnesilocho caussa est cur abiudicemus uersus 394 ss. a poeta. immo ex uersibus 521 ss. cum verisimilitudine quadam concludas, antea iam de Chrysali in se meritis locutum esse

---

[1]) *nugas* putauit *Brachmann* l. l. p 92.

[2]) *Brachmann* l. l. p. 96.

Mnesilochum. sed quomodo uerba illa *sed eccum uideo incedere* potuerint intrudi in codices exponam. erat altera recensio, in qua legerentur tantummodo uu. 392+393/1+403/2+404. qui nostrum confecit textum, in suo exemplari illos uersus solos legisse uidetur, cumque in aliis exemplaribus uersus 394 ss. inueniret eos suo loco inposuisse, uersusque 393 clausula *aequomst id ei reddere* cum prioris recensionis uersiculo *sed eccos uideo incedere* confusa scripsisse hoc loco *sed eccum uideo incedere* posteriore *sed equos*[1]) *uideo incedere*?

Hanc igitur plautinam recensionem restituemus:

392 *Condigne is quam techinam de auro aduorsum meum fecit patrem,*
ut mihi amanti copia esset. aequomst id ei reddere.
399 *nunc Mnesiloche specimen specitur, nunc certamen cernitur.*[2])
400 *sisne necne ut esse oportet, malus bonus quoiquoimodi.*
402 *caue sis te superare seruom siris faciundo bene.*
396 *praestat*[3]) *nimio, impendiosum te quam ingratum dicier:*
394 *nam pol meo quidem animo ingrato homone nihil infensiust.*[4])
398 *qua te caussa magis cum cura esse et cum obuigilatu*[5]) *est opus.*
403 *utut eris, moneo, haud celabis. sed eccos uideo incedere*
mei patrem sodalis et magistrum. ausculto quam rem agant.

Act. III, 3.

In uersu 451 Lydus[6]) cum uideat Mnesilochum exclamat:

[1]) cod. B in uersu 403/2 seruauit.

[2]) qui uersus in codicibus sequitur molestus post *quoiquoimodi* a ludente histrione additus esse uidetur.

[3]) codd. *nimio praestat.*

[4]) *impensiust* codd. quod significare uoluerunt (cf. *Brachm.* l. l. p. 95 adn. 3): nemini plus ingeri oportet bonorum quam ingrato. iam *inpensus* non est is, in quem absumptum est aliquid, sed is, qui absumptus est. quare bene dicuntur *cura inpensior, uoluntas inpensa, preces inpensae, pretium inpensum,* similia, numquam tamen *homo inpensus.* Capt. 806 Fl. *uae misero illi quoius cibo iste factus est impensior* conruptus. quare recte Vssing emendasse uidetur *infensiust:* id est magis obiurgio hominum obnoxius est.

[5]) codd. *ea cum obuigilato est opus. cum obuigilatu* dictum puto ut *cum cura. obuigilatus* nouasse uidetur Plautus.

[6]) nam recte etiam uersus initium seruo tributum esse a uiris doctis arbitror. codices B D Philoxeno adsignauerunt.

sed quis hic est quem adstantem uideo ante ostium?

sequitur uersus 452 quem codex B dat Mnesilocho, C D continuant Lydo. quos secutus Hermannus inposuit *haut* ante *mauellem.* bene ut mihi uidetur. Mnesilocho certe non licuisse talia loqui nemo negabit. offendit tamen quod hoc in uersu inuenitur *quam illum,* cum praecedat *quis hic est, — quem uideo.* num eiciemus *hic*?[1]) minime.[2]) nam satis bene in nostro uersu

[1]) numquam enim inter se componi *hunc* et *illum* ut idem homo significetur ab uno contendo, omnesque uersus ubi hoc fiat emendandos esse, ut in tali uersu Curcul. 716 ed. Goetz.

Libera haec est hic huius frater est haec autem illius soror

idem miles *hic* et *ille* nominatur. quamquam exspectes *huius soror,* tamen dixerit quis uulgari eoque negligentiore loquendi modo usum esse Phaedromum, qui in priore membro *hic* et *huius*, in posteriore *haec* et *illius* inter se obposuerit. tamen ne exitus uersus quidem placet (cf. Ritschelii opusc. II p. 684). bonum sonum restitueres sic: *haec autem illius soror'* uel *illiust soror* (Fleck.) eiecto *est* prioris membri. uereor ut recte: nam desideramus *est* in priore loco; quare hunc potius uersum fuisse genuinum contenderim: *líbera haec est, híc est huius fráter haec autem húius soror,* ubi sane *huius* conrigendum erat pro *illius* mutatione facillima. (praeiuit ex parte *Luchsius de genit. pronom.* p. 44 *huius est* scribens, quod recepit *Goetz* in editione.) sed optime nunc sonus in singula cadit uerba: ipsa ea quae ictu percuti debent percutiuntur: *híc, huíus, háec, húius.*

Iam in Mercat. 384 *quíd illuc est quod ille á me solus se ín consilium séuocat?* cod. B: *me a me* codd. C D *illa me* praebent. equidem non dubito cum etiam in uersibus 385 et 387 *hunc* pater nominet filium emendare:

quid illuc est quod hic a me.

in Mostell. u. 630 si opus esset pro *illi* restitueremus *hoice.* fortasse tamen alterius hic uersus recensionis est, de qua nunc nihil exponam, nam longum est. ceterum simili modo supra uersus 239—240 et 241—242 segregauimus. in Amphitr. u. 416 (Fl.) legimus: *egomet mihi non credo quom illaec autumare illum audio, hic quidem certe quae illi res sunt gestae memorat memoriter.* ubi *illum Thurau (de pronom. demonstrat. apud Plautum usu* in progr. gymn. roessel. p. 18.) his uerbis commendat: *ille seruari uelim, quia qui eo pronomine utitur minus cogitat de homine altero praesente quam de re ab illo narrata; quam dum mente agitat, illum ipsum quasi remotum a se fingit.* causa futilis. sine dubio scribendum *hunc.* non huc faciunt Men. 952 et 956, neque ut uidetur Mil. gl. 1278 et 1280. quamquam in posteriore loco melius fortasse scribatur *uide ne sies in exspectatione — ne hanc animi excrucies.*

[2]) de uersus forma exempli gratia comparari potest: Cistell. II, 1, 57: *sed quis hic est qui recta platea cursum huc contendit suom?*

legitur: cf. uersum 454: *haud consimili ingenio atque ille est, qui in lupanari adcubat. ille* Pistoclerus est, Mnesilochus *hic* est. sed conrigendum est in uersu 452 *quam hunc haud.*

Porro legimus *illum* etiam in uersu 455 ubi non facile potest conrigi. praeterea u. 457 *hic enim rite productust patri* melius referetur ad uersum 454, quam ad uersum 455. tum uersus 465 et 466 eo quo extant loco frigere dudum intellexit *Guyetus*, quem secutus *Ritschl* in editione ut suppositicios uncis inclusit. *Ribbeck* in praefationis Stichi ritschelianae p. XVIII. ita contextum plautinum sibi uisus est restituere:

457 Lyd. *Hic enim rite productust patri*
in mare it, rem familiarem curat, custodit domum;
459 *obsequens oboediensquest mori atque imperiis patris.*
465 *illum meum malum promptare malim quam peculium.*
466 *Phil. quidum? Lyd. quia malum si promptet in dies faciat minus.*
(pol profecto ab adulescente quantum adulescens discrepat:)
460 *hic sodalis Pistoclero iam puer puero fuit.* et q. s.

uituperans iure *Ribbeckium Vssing* non minus male hoc ordine uersus posuit in editione: 462+465—466+463 ss.

Sed quid uelint praeter omnia uideamus uu. 464—465. interpretati sunt adhuc *nam Pistoclerum meum profundere malim malum, quam peculium.* prodigum igitur Pistoclerum esse uersibus his indicari putarunt. quamquam non satis me intellegere *meum malum promptare* si sit *profundere* libenter fateor. equidem non prodigum hominem sed parcum uerbis illis significari pro certo habeo; quae quomodo interpretanda sint docet *malim* in uersu 465 scriptum: malim illum de suo thensauro promptare mihi malum[1]) quam peculium: nam malum in dies minus promptaret, sicut etiam peculium in dies minus promptaret, non quia in dies minus in thensauro haberet, sed quia in dies parcior fieret. aliter si adcipienda essent, tali modo seruus locuturus fuisset: *nam illum meum malum promptantem faciam potius quam peculium.* adparet illum esse Mnesilochum, non Pistoclerum; cohaerent uersus 465—466 cum uersu 455, reli-

[1]) comparari potest Mil. glor. 865 Lucrionis uerbum *quaeso tamen tu partem infortuni meam si diuidetur me absente adcipito tamen.*

quiae sunt recensionis alterius. quae qualis fuerit certis finibus non describi potest, hoc tamen uidetur dici posse uersus 465 s. in illa recensione positos fuisse ante uersum 450 uel similem. num Plauti fuerunt?

Etiam reliqua actio interpolationibus deformata est. uersus 477 *itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo* paene idem est cum uersu 479[1]) *nullon pacto res mandata potest agi?* tum quae in uersu 478 legimus: *auscultantem mulierem* retractata habemus in uersus 480 parte altera: *labra a labris nusquam auferat.* iam qui composuit uersum 482 praetermittere debuit uersum 480, cum idem[2]) insit in uersu 480, quod in 482. denique uersus tres ultimos[3]) non licuisse scribere ei, qui uersus 481 ss. adtulerit, manifesto adparet. duas igitur hoc loco cognoscimus recensiones, unam hanc:

479 *Lyd. Nullon pacto res mandata potest agi, nisi identidem*
480 *manus (suas)*[4]) *ferat ad papillas, labra a labris nusquam auferat?*[5])
486 *quid opust uerbis? si opperiri uellem paulisper modo,*
ut (opera) illius inspectandi mi esset maior copia,
plus uidissem quam deceret, quam me atque illo aequom foret.

alteram hanc: u. 477+478+481—485.[6])

[1]) *Langen* l. l. p. 50 uersum 479 tantum expungit.

[2]) nam cum uersu 482 conferas quaeso Terenti Heautontim. III, 3, 2 Umpf. *uidin ego te modo manum in sinum huic meretrici — inserere?*

[3]) uersum 487 cum *Loewio* ex interpretamentis conflatum arbitratur *Brachmann* l. l. p. 128. a latinitate eum non debere addubitari rectissime monuit *Vahlen* in Herme XV, 274. tamen ne illius quidem scriptura adquiesco: *ut opinor illi inspectandi.* uitium sine dubio inest in *opinor* quod in uersu molestissimum est. nam structura haec est: si opperiri uoluissem ita ut maior mihi illius inspectandi copia fuisset, plus uidissem quam deceret. quare tale potius cum *Buechelero* illum qui hos uersiculos composuerit scripsisse putarim: *ut (opera) illius* etc bene autem *Vahlen* codicum lectionem seruauit in uersu insequente. nollem scripsisset, non offendi nos *quid opust uerbis* intra paucos uersus bis positis. atque conferri iubet Aulul. 468 et 472 ed. Goetz., ubi duas exstare recensiones luce clarius est. certe uersus 472 post uersum 468 ferri nequit.

[4]) *contra* coniecit *Loewe*, spatia literarum codicis A explens cf. *Brachmannum* l. l. p. 127. tamen *contra* apud Plautum pro trochaeo est.

[5]) iniuria *Langen* coniunctiuum in suspicionem uocat l. l. p. 50. cf. Curcul. 246 *potin coniecturam facere, si narrem tibi?* (Cas. 425) Epid. 713 *inuitus do hanc ueniam tibi, nisi necessitate cogar.*

[6]) recte igitur *Brachmann* l. l. p. 126 ss. iudicauit.

Diiudicandum nunc est, utra recensio plautina sit, utra post Plauti aetatem conscripta. iam scimus Lydum apud Plautum cum ingressus esset in Bacchidum aedes non extemplo recessisse, sed aliquantum temporis una cum ero moratum esse in aedibus, atque effugisse demum, cum se discipuli animum non posse cohibere uideret (— *me praesente neque pudere quidquam*). illa tamen uerba *si opperiri uellem paulisper modo* etc. ei tantum licuit scribere, qui statim ex aedibus illis reuertentem fecit Lydum. ergo abiudicemus a Plauto uersus 486—488. sequitur ne uersus 479—480 quidem posse Plauti esse, qui cum uersibus 486 ss. cohaerere nobis supra uisi sunt. dicat quispiam uersum Plauto ualde dignum esse et adferat Pseud. 673: *teneris labellis molles morsiunculae papillarum horridularum oppressiunculae*, 1259 *(ubi amans complexust amantem, ubi labra ad labella adiungit)* [1]) *alter ubi alterum bilingui manufesto inter se prehendunt, ubi mamma mammicula opprimitur, aut si lubet corpora conduplicant* etc. Mil. glor. 1135 *labra in labris ferruminat*, tamen uideat ne suis se retibus capiat. nam diasceuasta hoc loco Plautum imitatus est, cumque poeta minus decenter dixisset: *quom manus* [2]) *sub uestimenta ad corpus tetulit Bacchidi* — nam solet talia adferre cum uoluptate quadam ut uidetur — diasceuasta, qui resecat saepe quae ipse non putat conuenire suae aetatis spectatoribus, etiam hoc loco paullo uerecundius locutus est: *manus (suas) ferat ad papillas.* [3])

---

[1]) uersus primus alterum uidetur exemplar esse uersuum insequentium, statim cum uersu 1261 coniungendus.

[2]) ita scribendum uidetur. *manu* cod. A (cf. *Brachm.* l. l. p. 127) D.

[3]) non reliquerim hanc actionem, quin conrigam uersum 479, ubi scribendum:

Phil. ad fatim Mnesilochi cura est.

neque enim Philoxenus debuit dicere satis esse curae Mnesilocho, sed satis esse curam Mnesilochi h. e. satis esse unum Mnesilochum concastigare Pistoclerum. et quamquam saepe cum *ad fatim* coniungitur genitiuus, ut apud Plautum in Menaechm. 457, Mil. gl. 980 tamen *ad fatim* etiam sensu primario adhibetur, uelut in Menaechm. 91. Poenul. IV, 2, 45. plurimum huc facit Trinummi 1185: *miseria una uni quidem hominist ad fatim.* in libris est *Mnesiloche.*

Act. III, 4.

Auditis quae narrauit Lydus Mnesilochus Pistoclerum opinatur amare Bacchidem meretricem, suam ipsius amicam, magnaque ira commotus loquitur:

inimiciorem nunc utrum credam magis
sodalemne esse an Bacchidem incertum admodumst.

hoc in soliloquio uenusto non omnia sana esse iam perspexerunt *G. Hermann*, *Ritschl*, alii; nuper locum tractauerunt *Kiessling* in *anal. plaut.* p. 17 ss. qui recensiones diuersas has fecit: A uu. 500—502+503—505+515—519+519 abc+520 ss., B uu. 500—502+503+506—514+520 ss., *Brachmann* l. l. p. 80 ss. qui duas hoc loco inueniri recensiones uehementer negauit. non adquiesco in uirorum illorum sententiis, meamque paucis exponam. uersum 507 a: *id isti dabo; ego istanc multis ulciscar modis G. Hermann* eiecit ut ex duobus glossematis consutum, quorum prius *id isti dabo* spectaret ad uersum 507, posterius *ego istanc multis ulciscar modis* ad 505. secutus est *Ritschl* in editione, nuper *Brachmann* in dissertatione. seruauit *Kiessling* eum quo loco exstat; male, nam pessime ibi legi eum recte *Hermann* animaduertit. equidem uersum ab eo qui composuerit cum uersu 503 coniunctum esse puto; ad *isti dabo* subaudiendum *malum*. cf. Amphitr. II, 1, 13 *malum — quod tibi di dabunt atque ego hodie dabo.* sequebatur in illa recensione statim uersus 508.

Sed uideamus reliqua.

Versus 506 [1]) *ego faxo haud dicet nactam quem derideat* paene idem redit in uersu 864 *faxo se haud dicat nactam quem derideat*, neque tamen solet Plautus in eadem fabula sine caussa

---

[1]) codd. B C D *derideat*, quod extat idem in uersu 864. cod. A *deluderet* (cf. *Brachm.* l. l. p. 81) *Loewio* auctore, *Ritschelio deluserit.* non ipsi librarii codicum B C D uel archetypi uidentur deriuasse *derideat* ex uersu 864 ut credidit *Ritschl;* cum codicis A lectio orta sit ab homine, qui textum expolitum lectoribus praebere uoluit, ualde credibile est, eum quia inueniretur *derideat* in uersu 864 hoc loco ex coniectura posuisse *deluserit.*

eisdem uersibus uti.[1]) porro u. 506 cum uersu 515 fere congruit. nihil deinde aliud uersibus 506—511[2]) indicatur nisi quod in uersibus 504—505 exponitur, in primis uersus 511 repetere uidetur sententiam uersus 506. iam in uersibus 519 abc, quos soli codices B C D seruant, omittit codex A, alteram inueniri recensionem uersuum 512—514 luce est clarius; miro modo eos *Hermann* et *Ritschl* studuerunt inter se contaminare.[3]) denique uersuum 512—514 auctor praeteriit uersus 515—519: non intellegimus illa *nunquam edepol uiuom*[4]) *me inridebit*, quae recte demum interpretabimur antepositis uersibus 519 abc *mori me malim* etc.

Recensio igitur plautina talis fere fuit:

Inimiciorem nunc utrum credam magis
sodalemne esse an Bacchidem incertum admodumst.
illum exoptauit potius? habeat! optumumst!
ne illa illud hercle cum malo fecit suo[5]),
nam mihi diuini numquam quisquam creduat,

[1]) de nostro uersu conferas quaeso *Acidalii Diuin. in Plaut.* p. 208 ss. *Brachm.* l. l. p. 83. *A. Spengel* sane contendit in dissert. *de uersibus creticis* scriptae thesi: *qui uersus apud poetas scaenicos et Graecos et Latinos bis inueniuntur, si utrique loco conueniunt, non pro interpolationibus habendi sunt*, hoc tamen in singulis semper diiudicandum est.

[2]) hos arte cohaerere adparet. uersum 506 solum male ut a ludente librario adscriptum expunxit *Brachmann* l. l. p. 81, 84. probat eum *Brix* in recensione Langeniani libri in *Jahrbücher für classische Philologie* 1881 expressa p. 47. uereor equidem ut satis apte conectantur uersus 505 et 507. (non bene *Ussing* uncis includit uersus 506—511, quia male loquatur Mnesilochus *domum ibo atque aliquid subripiam patri*, cum ipse omne adhuc aurum habeat quod Epheso adtulerit; de qua re cf. *Brachm.* l. l p. 84 s.).

[3]) *Osann* in *Anal. critic.* p. 201 ad alteram recensionem refert uersus 512—516, ad alteram uersus 519 abc+520. uersu tamen 520 etiam ad recensionem priorem egemus. qualis *Goetzii* sententia fuerit l. l. p. 236 non satis liquet. hoc adfirmarim, non recte de toto loco eum iudicasse si glossema putauit esse uersuum 512—514 uersus 519 abc. hunc *Brachm.* l. l. p. 85 sequitur. rectius iudicat *Seyffert. Stud. Plaut.* p. 10.

[4]) nam ita recte *Ritschl* in editione scripsit. cf. etiam *Brachm.* l. l. p. 83.

[5]) non *meo* recipiendum (cod. A *suo*, codd. B C D *suo meo*), ut uoluit *Brachm.* l. l. p. 82, qui ab interprete *suo* additum existimauit. *suo*

ni ego illam exemplis plurumis planeque — amo.
519a *sed autem, quam illa umquam (ex)*[1]) *meis opulentiis*
ramenta fiat grauior aut propensior,
mori(ri) me(met) malim excruciatum inopia
numquam edepol uiuom me inridebit, nam mihi
decretumst renumerare iam omne aurum patri.
igitur mi inani atque inopi subblandibitur,
quom mihi blandiri nihilo pluris referet,[2])
quam si ad sepulcrum mortuo narret logos.
profecto stabile est me patri aurum reddere.
eadem exorabo Crusalo causa mea
pater ne noceat neu quid ei suscenseat
mea causa de auro quod eum ludificatus est.[3])
nam illi aequomst me consulere qui causa mea
mendacium ei[4]) *dixit. uos me sequimini.*

Alteram recensionem hanc formabimus:

Inimiciorem nunc utrum credam magis
sodalemne esse an Bacchidem incertum admodumst.
illum exoptauit potius? habeat! optumumst!
ne illa illud hercle cum malo fecit suo:
ego faxo haud dicet nactam quem derideat.
nam iam domum ibo atque — aliquid subrupiam patri;
adeo ego illam cogam usque[5]) *ut mendicet — meus pater.*
sed satine ego animum mente sincera gero,

legisse illum qui conexuerit uersus 503 et 506 putat *Kiessling* l. l. p. 18, *meo* positum esse ab alterius recensionis auctore. rectissime equidem dudum Hermannum iudicasse arbitror. *meo* ex coniectura grammatici pro *suo* in margine adscriptum erat.

[1]) nisi mauis talem: *sed autem quam illaec umquam meis opulentiis.* ceterum *opulentiis* optime hic legitur.

[2]) mihi sic uidebatur uersus conrigendus esse. ceterum cf. *Brachm.* l. l. p. 82 et de uersu insequente *Niemeyerum* de fabul. rec. dupl. p 37.

[3]) *Brachm.* l. l. p. 85 duos uersus in unum contraxit: *pater ne noceat quod eum ludificatus est.* non credam tali modo restitutam esse orationem plautinam, neque rursus adsentiar *Kiesslingio* l. l. p. 18 totum uersum 523 eicienti. a quonam additus est? a docto librario? condono potius hunc uersum Mnesilocho.

[4]) EI cod. A, omisere rell., cf. *Brachm.* l. l. p. 85 adn. crit.

[5]) *adeo — usque ut* a Plauto alienum esse exposuit *Langen* l. l. p. 141; quod addere licet ut satis certum sit uersus 506—511 a poeta compositos non esse. ceterum iam Terentius qui ipse quoque nisi *usque adeo donec* (Andr. IV, 1, 38) aut *usque adeo dum* (Eun. IV, 6, 3) non

qui ad hunc modum haec hic quae futura[1]) *fabulor?*
amo hercle, opinor, ut quod pro certo sciam.
uerum, quam illa umquam de mea pecunia
ramenta fiat plumea propensior,
mendicum malim mendicando uincere.
(nam iam decretumst) me patri aurum reddere.
eadem exorabo etc.

Act. III, 6.

G. Studemund in *Festgruss an die Würzburger Philologen-Versammlung* a. 1868 p. 42 monuit abesse a codice A uersus 540—551 quos uideri post Plauti aetatem compositos in palatinorum codicum recensione retentos in Ambrosiano recte damnatos esse.[2]) reuera iam ante Charisii tempora exemplar in doctorum uirorum manibus fuisse statuere licet, in quo aut omnes illi uersus neglecti erant aut certe nonnulli; ille enim dicit s. u. *meditate* p. 205 K. *Plautus in Bacchidibus: edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes; in quibusdam non feruntur.* primum uideamus num uersibus 540—551 carere liceat. adfirmarunt *Studemund* l. l., *Brachmann* l. l., alii. *Vssing* in contextu retinuit omnes, in commentario concessit optime posse abesse, magisque eorum, qui breui post Plauti mortem fabulas eius referebant, ingenium sapere, quam ipsius Plauti. fateor mihi non satisfacere talem uersuum coniunctionem:

Pi. numquae aduenienti aegritudo obiectast? Mnes. atque acerrima.
Pi. unde? Mnes. ab homine quem mi amicum esse arbitratus sum antidhac.
Pi. improbum istunc esse oportet hominem et q. s.

nimis celeriter Pistoclerus respondet: *inprobum istunc esse oportet hominem.* iam quia omnes illi uersus 540—551 omissi

composuit, sic coniunxit *usque — ut* in Eun. II, 1, 14 *opus faciam ut defetiger usque* ac paullo post adhibuisse uidentur *adeo usque ut,* id quod elucet ex nostro uersu.

[1]) *futilia Teuffel* (nou. ann. phil. tom. 115 p. 539) coniecit. cf. tamen *Brachmanni* diss. p. 84 adn. 3.

[2]) *Teuffel* l. l. p. 537 uersus 549 et 539 congruere putauit. *Langen* l. l. p. 181 uersibus 540—551 (incl.) perbene nos posse carere putat. locum totum nuper tractauit *Brachm.* l. l. p. 90 ss.

sunt in A, idcirco omnes a Plauto abiudicamus? num codex hic germanam nobis Plauti recensionem praestat? supra uidimus eum praeteriisse uersus 519 abc, quos ipsi Plauto magna cum uerisimilitudine tribuimus, exhibuisse autem uersus qui antecedunt, ubi duas atque adeo tres recensiones statuimus. quare cauendum, ne soli codici A nimium demus admiratione eius capti. sed uide uersus quales in B C D codicibus traditi sint. num omnes ab uno poeta profecti? eiecit *Brachmann* l. l. uersus 544 et 549 ut ab interpolatore additos.[1]) quidni deleuit etiam uersus 543 546 547? male Mnesilochus dicit *nulli amici sunt: inimicos ipsi in sese omnis habent.* nam uidentur sane esse amici quamquam falsi sunt. is ergo qui eos amicos sibi esse retur, ipse illis amicus est, ut hoc loco Mnesilochus Pistoclero. melius illi uersus de aliis hominibus inprobis dicerentur quam de falsis amicis. etiam uu. 543 et 544 minus apti huic loco sunt. ferremus potius talia: *amicis inuident rem secundam obtingere. nullus est quoi non inuideant* nimis in uniuersum dicta.

Omnibus respectis hoc mihi satis certum est uersus tantum 540—542+545+549+550—551 ab eodem homine scriptos fuisse; qui interpositi sunt, olim inter se arte cohaerentes, similitudinis caussa in margine adscripti mox in contextum recepti sunt. ceterum in uersu 550 praeferendum *ipse quod in se fuit* codicum C D (codex B *ille* praebet), propter *sicut est hic* u. 549.

Iam in sequentibus u. 522 *inprobum istunc esse oportet hominem* etc. molestus est post uersus 540 ss. quare non dubito plures hoc loco statuere recensiones: unam uersus 539+540—542+545+549+550+551+553 ss., alteram 539+552+533 ss. quae cognoscitur ex codicis A scriptura. plautina sine dubio

[1]) uersus autem 544 et 548 ab eodem confectos esse contra *Brachmannum* contendo. non idem est u. 544 uersui 547. uerbis *ignaui* (sic codd. optime) *recte cauent ne sibi inuideatur* nil dicitur nisi: ita illi rem gerunt ignaui, ut nil boni eis obtingat. quare ne potest quidem quisquam illis inuidere.

est prior. nam hi uersus (praesertim 542 550 s.) minime indigni Plauto.

Act. IV, 4.

In hoc cantico diuersas recensiones deprehendi posse arbitror.[1]) in uersibus 654 ss. talia codex B praebet:

Nullus frugi esse potest homo
Nisi^{q} et bene et male facere tenet
Improbis cum improbus sit arpaget furibus furetur quod queat.
Ve^{r}sipellem frugi conuenit esse hominem
Pectus cui sapit. bonus sit bonis malus sit malis.
Vtquë cum^{q} res sit ita animum habeat.

Creticos uoluit esse *Ritschl* in uersu primo:

núllus frúgi ésse homó— potést.

melius scribes:

núllus frúgi potést ésse homó.

in uerso secundo mutabis cum Ritschelio:

nisi qui ét bene fácere et mále tenét.

in uersu tertio desideramus ea, quae de homine bene faciente dicantur (cf. *bonus sit bonis, malus sit malis*): putes ita restituendos esse hos uersus ut systema:

Sit próbus cum probís, inprobús cum inprobís har-
pagét furibús, furetúr quod queát, uor-
sipéllem frugí conuenít esse homónem.

secuntur uersus tres bacchiaci dimetri catalectici:

pectús quoi sapít: bonús sit bonís, malús sit malís.

uersum sextum e codicum scriptura adparet in archetypo fuisse talem:

utcumque res sit ita animum habeat.

V. 659 *pectus quoi sapit* neque cum antecedente neque cum subsequente ut nunc uersus leguntur conecti potest. nam primum hoc moleste adiectum est post *uorsipellem frugi conuenit esse homonem;* quam ob rem *Bothe* ac *Ritschl frugi* deleuerunt. deinde non eum cui pectus *sapit*, conuenit esse hominem uersipellem, sed cui pectus *sapiat:* neque uero *bonus sit*

---

[1]) scripsit *Brachmann* l. l. p. 178: *dittographiam a duarum recensionum mixtura repetendam latere in difficillimo Chrysali cantico IV, 4.*

bonis cui pectus sapit, sed *bonus est bonis.* quare mihi veri simile uidetur tales exstitisse uersiculos:

péctus quoí sapít
bonúst bonís malúst malís.
utcúmque rést, ita ánimum habét.

idem exprimunt hi, atque uersus 654 ss. ac suspicor diuersas nos hoc loco habere recensiones. iam dicas mihi, quaeso, quo pacto conexi sint uu. 648 ss. et uu. 654 ss. in prioribus exposuit seruus, sibi non placere paruam tantummodo pecuniam eris auferentes, neque quidquam esse nequius, quam seruum consilii egentem, in posterioribus hominem frugi oportere et bene et male facere tenere. sensus mea quidem sententia hiat pessime inter uersum 653 et 654. uersus 654 ss. de alia omnino re scripti sunt; uidentur seruati esse ex altera recensione, in qua alia seruus uia facinora enarrandi progressus erat.

Redeamus ad actionis initium: ibi uersus inuenitur hic (641):

nam dupléx hodié facinús feci, duplicíbus sum spóliis ádfectús.

at perlege quae in nostra fabula praecedunt omnia, num usquam duplicis facinoris serui adparet uestigium? interim hunc uersum a Plauto profectum esse nego. uidetur scriptus esse ab eo qui contexuit uersus 654 ss. iam totum ad librorum fidem emendatum interpolationibusque liberatum propono canticum:

CRUSALUS.

Hunc hóminem décet auro éxpendí, 640
huic décet statuám statui éx auró.
ut erúm maiórem méum ego hodié
lusí lepide út ludificatúst. 642
Cállidúm seném cállidís dolís
Cómpuli ét pérpulí mí omnia út créderét.
Núnc amánti eró, fílió senís, 645
Qui cum égo bibó, qui cum édo et amó,
Régiás cópiás aúreasque óbtulí,
út domó súmerét ueú forís quáererét.
nón mihi ístí placént Pármenónés Syri,
quí duas aút trís minás aúferúnt (suís) erís. 650
Néquius nil ést quam egens
cónsili seruós ni habet

múltipotens (is) péctus, (ut)
(id) ubicumque usús siet
péctore expromát suo. . 654
Séd lubét scire quántum áurum erús sibi 663
démpsit ét quid suó réddidít patri.
si frugíst Hérculém fécit éx patré:
décumam pártem ei dedít sibi nouem ábstulít.
séd quem quaéro óptume éccom óbuiám mihíst.
Nám qui nummi, ere, éxciderunt tíbi quod sic terrám (tacens)
óbtuere? quid uos maestos trístesque esse cónspicor?
nón placet nec témerest. etiam quíd respondetís mihi?

Act. IV, 8.

Miror quod nemo hanc actionem intellexit esse ualde perturbatam. miles uenit iratus quod soror secum ire recusauerit. parasitus enim ei narrauit quae ex Pistoclero audiuerat, cumque miles, qui certe totam rem de Bacchide et de Mnesilocho antea tenuit,[1]) nunc ab ipso Mnesilocho repulsum esse parasitum credat, adcedit petens ut saltem aurum sibi reddatur. atque acerrime inuehitur in Mnesilochum et mulierem, mortem omniaque mala minitans.

Iam singulas si adcurate inspicias sententias militis, facile intelleges in uersu 847 ss. de solo Mnesilocho eum loqui; uelle se ostendere Mnesilochum non habere quem deludat. secuntur uersus 859 ss. ubi cubantem cum meretrice Mnesilochum ipsamque mulierem se oppressurum esse dicit. quae si recte posita essent, non iam addi possent uersus 863–864, in quibus de sola meretrice agit maxime respiciendum *tum*. primum Mnesilocho ostendit se non esse contemnendum, tum meretrici; denique in uersibus 868–870 rursus ambos nominat.

Manifesto duas hoc loco deprehendimus recensiones. uersus 859—861 eiciamus e contextu plautino ac tribuamus diasceuastae, qui coniunxit ut uidetur cum uersu 862 uersum 870. oratio quae restat militis concinna nunc est:

nam neque Duellona mi umquam neque Mars creduat,
ni illum exanimalem faxo si conuenero

[1]) cf. *Goetzium* l. supra saepius laudato

tum illam, quae corpus publicat uolgo suom,
faxo se haud dicat nactam quem derideat. —
nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,
iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido.

Chrysalum seruum quem bene nouit miles (ut elucet ex uersu 872) rogat senex perterritus, ut paciscatur cum milite de filio. miles facile illos secum pacisci patitur, nam gaudet sibi aurum reddi (cf. uu. 875 882). secuntur rebus transactis uersus, quos conectere non licet cum praecedentibus (u. 884 ss.). nam studet denuo repellere Chrysalus militem atque eum qui iam sedatus erat. miramur Chrysalum dicere non esse Mnesilochum apud mulierem. quaerimus qua tandem de caussa senex cum milite pactus sit, si filius insons fuerit.[1]) iam quo iure dici potuerint a sene u. 898 *seruat me suis periuriis*, pactione cum milite dudum transacta, non uideo. conferre etiam licet uersum 880, ubi idem senex dixerat *uah Salus me seruauisti.* in uersu 899 ubi Mnesilochus nunc sit quaerit miles. cur omnino *nunc* illud scire uult? *nunc* bene scit Chrysalus a patre eum esse rus missum, cum antea u. 872 dixerit, se ubi sit nescire. porro inepte tam diu uidetur Chrysalus conloqui cum Cleomacho, cum pater ipse adsit Mnesilochi, quem esse patrem paullo ante miles audiuerat (in uersu 877), ex quo quaerere potuit miles, ubinam filius esset. denique u. 884 quomodo subiungetur uersui antecedenti? *numquid debetur tibi?* certe, debentur enim ducenti nummi. neque u. 902 *abeo ad forum igitur* bene dicitur post:

illa autem in arcem hinc abiit aedem uisere
Mineruae: nunc apertast: i uise estne ibi[2])

Sed iure dicat quispiam, inter seruum et militem pactum esse ut miles sibi male dici pateretur ab illo. cf. uersum 875, *atque ut tibi mala multa ingeram?* sed ne his quidem adduci possum

[1]) *Geppert* in *Plaut. stud.* I. a. 1870 ed. p. 61 ss. similia sane concessit Plauto (*factische widersprüche in den comödien des Plautus*), nonnulla fortasse recte: nostrum locum neque adtulit neque potuisset credo excusare.

[2]) cum u. 903 statim sequi debeat uersum 883, ordinem uersuum mutabimus: 883+903+902+904.

ut plautinos putem atque adeo a Plauto ad hunc locum scriptos uersus 884 ss. exspectes talem scaenam qualis exstat in Pseuduli uersibus 359 ss. *C. ingere mala multa; P. iam ego te differam dictis meis: inpudice. B. ita est. P. sceleste. B. dicis uera* etc. uerum nostro loco nil inuenitur nisi *inpure* uersus 884. cur tamen uersus 885 ss. et 890 ss. adfert? num ut male dicat militi? equidem potius crediderim mala illa multa, si omnino deprehendi debeant, inesse in uersibus tantum 902 ss., praesertim cum ipse Chrysalus in uersu 878 dicat *ceterum uerbum sat est,* post quae certe non *multa mala uerba* expectamus, neque talia, qualia nunc leguntur inde a uersu 884. hoc fortasse leuius: narrauerat Chrysalus Nicobulo meretricem, quam cum filio adcubantem uidit senex, esse uxorem militis. certe seruus in uersu 891 pro *cum esse cum illa muliere* dixisset *cum esse cum tua muliere.*

Duas igitur habemus recensiones, quarum in priore cum milite paciscitur senex, in posteriore (uersuum 884—901) miles repellitur tantum.[1])

Sed tuo iure quaeres: si miles nunc repellitur, ubi tandem cum illo Nicobulus conuenit? nam ex reliqua fabula elucet, aliquo loco eum etiam in altera recensione. cum Nicobulo egisse. fortasse in illa recensione primum seruus ipsum militem reiecit, ut apud Plautum Pistoclerus parasitum amouet (cf. IV, 2, 1 ss.); postea demum rem transegit senex cum milite de nummis ducentis. conferas enim uersus 966 ss. a diasceuasta ut infra docebo additos:

> *post cum magnifico milite, urbis uerbis qui inermus capit,*
> *conflixi atque hominem reppuli. dein pugnam conserui seni,*
> *eum ego adeo uno mendacio deuici, uno ictu extempulo*
> *cepi ab eo spolia. is nunc* etc.

[1]) aduenit miles Mnesilocho mala omnia interminans. statim seruus in eum ingreditur: *num quid debetur tibi? quare istum morte territas?* ceterum de *quid debetur tibi* in talibus occasionibus adhibito compares quaeso Pseud. 1139, ubi *heus — quid istuc debetur tibi?* Ballio exclamat cum Harpacem fores pultare uideat, et Mostell. 618.

pugnam seni conseruit seruus in uersu 760 ss. luce igitur clarius est iam antequam ipse miles in nostra fabula adueniat repulsum eum esse in illa altera recensione a seruo. ex qua desumpti sunt uersus 884—901. ac uidetur non Nicobulus pater, sed ipse filius in actione illa adfuisse. neque enim adesse debuerat senex, qui in uersibus 825 ss. demum qualis sit filius comperit. sed certi nil licet adfirmare.

Talis autem commutationis actionum non ipse diasceuasta auctor esse, sed exemplar graecum secutus uidetur.[1])

Etiam hoc pro certo habeo: uersum 641 ab eodem profectum esse, qui composuit uersus 884 ss. nam nunc duplex serui facinus ignoramus, tamen si antea militem reiecit aliaque fecit, quae iam sunt omissa (cf. uersus 962 ss. 966 ss.), iure dicit *nam duplex hodie facinus feci.*[2])

Act. IV, 9.

Iam *Franciscus Guyetus* criticus subtilis interpolationes in hac actione indicauit, qui uersus 929 937 - 942 ut spurios eiecit, uu. 950—951 in unum contraxit (cf. *Fleckeiseni Exercitat. plaut.* p. 39). e recentioribus maxime *Kiessling* in *Analect. plautin.* p. 14—17 hunc locum tractauit, qui genuinum Plauti canticum constituit uersibus I: 925 – 930 + 932 - 934. II: 935—944. III: 953 - 958 + 962 – 965 + 959. IV: 960 + 966—978. nuper *Brachmann* in diss. p 89 ss., dum plautina e tali sententiarum farragine studet eruere, condemnauit plurimos uersus exceptis

925—929 + 932 — 934 + 953 — 960 + 968 — 969/1 935 + 936 + 943 + 944 + 941 + 942 + 973—975 + 969/2 970—972 + 978.

Credine potest, si uel *Kiesslingii* uel *Brachmanni* recensio re uera a Plauto ita conscripta esset, tali modo ab iis, qui exemplar nostrum contexuerunt, confusam esse eam et interpolationibus contaminatam? ego libenter fateor, neque *Kiess-*

[1]) cf. etiam uersum 900 *illa autem in arcem hinc abiit aedem uisere Mineruae: nunc apertast.*

[2]) ceterum *duplicibus spoliis sum adfectus* nil est nisi duplicem uictoriam reportaui. cf. uersum 969: *uno ictu extempulo — cepi ab eo spolia.*

lingii neque *Brachmanni* mihi satisfieri iudicio. conabor meam sententiam paucis explicare.

Versus 925 — 929 omnes intactos reliquerunt.[1]) uersum 930 *Brachmann* expunxit,[2]) retinuit *Kiessling* rectius.[3]) uersum 931 una omnium sententia est non posse tolerari hoc loco[4]) propter *cepi expugnaui*, cum praecedat *expugnabo*. cuius rei uestigia miror fugisse uiros doctos in reliqua oratione. nam in uersu 934 legimus *qui male mulcabere quadrigentis Philippis aureis*, u. 974 *quadrigentos filios habet — eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus*. at uersu 960 *post ego occidi Troilum, — quom censuit* etc. et uersu 967 ss. *dein pugnam conserui seni: cum ego adeo uno mendacio deuici, uno ictu extempulo cepi ab eo spolia.*

Iam qui uersus 937—40[5]) scripsit praeteriit sine dubio 945—949, in quibus eadem res retractatur: Mnesilochus cum in uersu 947 Alexander nominetur, in uersu 937 Sino est. senex in uersu 945 comparatur cum Ilio (cf. uu. 956[6]) 971), in uersu 933 cum Priamo (cf. uu. 973 976 979). denique in uersu 926 Pergamo[7]) obsidium fieri Chrysalus dicit (cf. uu. 903 1053 1054), in uersu 953 aliis Ilio. turbatam igitur esse actionem facile concedes.[8]) quaerendum quae genuina sint, quae a diasceuasta adlata.

[1]) excepto *Guyeto*, qui eiecit ultimum propter uersum 931. melius hunc deleuisset.

[2]) l. l. p 108: quia non respondere uideretur uersibus 972 951 1071! uersus 972 ab ipso antea condemnatus erat. u. 1071 huc adferri non debuit: neque 941 *hoc insunt in equo milites*: quasi uero his uerbis Chrysalus indicet se cum militibus erum expugnasse!

[3]) conrigendum tamen *militum* in *nauium* cf. etiam *Kiessl.* l. l. p. 14.

[4]) metrum uitiosum esse dicit *Kiessling* l. l. p. 14: non potest enim ut antecedentes uersus in partes duas discribi.

[5]) addo uu. 937—40 non exstare in codice A. cf. *Brachmannum* l. l. p. 99.

[6]) nam ibi *nostro huic Ilio* positum esse pro *nostro huic seni* elucet ex uersu 957 *nostro seni.*

[7]) comparatur cum arca senis in uersu 943.

[8]) *Kiessling* sane l. l. non magni momenti existimat esse hanc uarietatem.

Versus 925—930 932—944 973—978 ab eodem auctore scriptos esse negari nequit.[1]) Pergamum illic adfertur (comparatur *arca senis* cum *arce* in uersu 943), et senex Priamus nominatur. neque dubitabimus illos ipsos Plauto tribuere, cum et u. 978 arte cohaereat cum sequentibus et in uersibus 1053 1054 1058 rursus exstent Troia, Pergamum (cf. u. 933), quos minime licet expelli, contra uersu 987 *nunc superum limen scinditur, nunc prope adest exitium Ilio* non indigemus, praesertim cum redeat sententia in uersu 1053 *scindunt proceres Pergamum.*

Sed quid faciemus uersibus qui restant? 945—952 tollunt *Kiessling* (l. l. p. 14) et *Brachmann* (l. l. p. 101, 104). nam quae narrat Chrysalus in uersu 949 ss. retractata inuenies in uersu 962 ss. diuersam igitur indicamus recensionem uersuum 945—952[2]) et 962 ss. iam uide locum illum, quo Ilii tria fata tractantur. primum fatum legis in uersibus 957—959. huc rettulerat *Kiessling* etiam uu. 962—965, nam non Vlixes Troilum necauit itemque seruus a Mnesilocho uidetur seni proditus esse, ut Vlixes Hecubae ab Helena. sed cum Vlixes non in raptu palladii ab Helena agnitus sit, quod sumpserat *Kiessling*,[3]) dubitabimus num ad fatum primum hi uersus pertineant. quomodo autem eos intellegamus cum ne ad secundum quidem fatum referri posse adpareat? inspiciamus uersum 966 ss. *post cum magnifico*

[1]) optime inter se excipiunt uu. 933—944, ut mirari liceat *Brachmannum* uersuum ordinem turbantem. qui uu. 941 942 propter *ita res successit mi usque adhuc* poni uoluit post uersum 944, non animaduertens, in uersu 941 et 942 de praesente, in uersu 943 s. de futuro tempore loqui Chrysalum. bene codicum ordinem seruauit in illis *Kiessling.*

[2]) ordinem tamen uersuum talem necesse est constituamus: 947+948+945+946+949—952. *Brachmann* l. l. p. 101 hosce coniunxit: 937—940+949—952. quos bene conecti primo adspectu credas. hoc tamen cogitandum, iam in ipso uersu 940 Chrysalum quare se cum Vlixe compararet exposuisse. molestum igitur est alteram addi caussam. quod in A desunt uersus 937—40, illius codicum prosapiae auctor cum uideret redire paene eadem in uersibus 945 ss. resecuit genuinos. uu. 949 ss. euidenter subiungendi sunt uersui 946.

[3]) cf. *Brachmannum* l. l. p. 101 112.

milite etc. num hi in fatum secundum quadrant? minime. quare mihi quidem certum est, cum uersus 962—970 arte inter se conexi sint neque ad ullum fatum spectare possint, fuisse recensionem, in qua Chrysalus, speciosa illa comparatione neglecta, facinora spectatoribus enarraret tantum. uersus qui secuntur 971—972 eiusdem auctoris uidentur esse atque uu. 960—962, excidit uersus similis uersuum 969—970. denique sententiam nostram confirmat quod lacuna esse uidetur post uersum 970. ne longus sim, habemus duas recensiones uel recensionum reliquias: uu. 947+948+945+946+949—961 [1])+++ 971+972 et uu. 962—970.[2])

Recensio plautina ita conformanda est:

925 *Atridae duo fratres cluent*[3])
fecisse facinus maxumum,

---

[1]) recte mihi uideor conectere uersus 960 961 (cf. etiam *Langenium* in libri saepe dicti p. 35), posteriorem eiecit *Brachmann*, *Wilamouitzii* et *Kiesslingii* auctoritate commotus, qui in *Plaut. anal.* p. 17 de uersu 961 talia scripsit: *quae apta non sunt tum propter dudum uocabulum si quidem Bacchidem non meretricem esse sed militis uxorem nouo demum hoc dolo seni persuadere coepit Chrysalus; tum quia hac ratione non satis adparet, quae inter falsam hanc senis opinionem et Troili mortem intercedat similitudo.* non recte intellexisse *Kiessling* mihi uidetur *dudum*, quod non ad *censuit*, sed ad *esse* referendum est senex uero persuasum habet esse meretricem militis uxorem in actionis antecedentis fine (cf. u. 917). neque porro adsentior *Kiesslingio* dicenti non esse similitudinem inter mortem Troili et senis opinionem falsam. nam tria sunt fata Ilii: *signum ex arce si perisset, mors Troili, muri si scinderentur.* item ter in nostra fabula seruus adgreditur senem, primum cum infitietur aurum ab hospite adceptum, tum cum ducentis opus sit nummis pro milite et mentiatur de meretrice. nam nisi persuasum habuisset senex militis uxorem eam esse, numquam se ducentos nummos militi daturum promisisset, (cf. u. 1096 ss.), similiterque occisus est Troilus ac fides Nicobuli, qui filium suum esse optimum credidit, conruit, cum uidit adcubantem cum uxore aliena. satis igitur quadrat in hunc locum u. 961. atque etiam desideramus certiores fieri de mendacio, quo seruus senem deuicerit. cf. u. 957.

[2]) u. 931 inter recensionem priorem et posteriorem dubius utriusque fuisse uidetur.

[3]) de uersibus his breuibus uide *Kiessl.* commentationem.

quom Perami[1]) *patriam Pergamum,*
diuina moenitum manu,
armis equis exercitu[2])
eximiis bellatoribus
milli[3]) *cum numero nauium*
decumo anno post subegerunt.
Non peius[4]) *termento ruit*
praeut ego erum expugnabo meum
930 *sine armis*[5]) *sineque exercitu*
et tanto numero nauium.[6])
932 *Nunc huc priusquam senex uenit*
lubet lamentari dum exeat.
o Troia, o patria, o Pergamum,
o Perame, periisti senex,
qui misere male mulcabere
quadrigentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obsignatas consignatas quas fero
non sunt tabellae, sed equos, quem misere Achiui ligneum.
Epiust Pistoclerus: ab eo haec sumpta; Mnesilochus Sino est
relictus: ellum, non in busto Achilli sed in lecto adcubat,
Bacchidem habet secum, ille olim ut habuit ignem qui signum daret.
940 *nunc ipsum exurit. ego sum Vlixes quoius consilio haec gerunt.*
Tum quae hic sunt scriptae litterae
hoc in equod insunt milites
armati atque animati probe.
ita res successit mi usque adhuc.
Atque hic equos non in arcem uerum in arcam faciet inpetum:
914 *exitium excidium exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.*
973 *sed Peramus hic multo illi praestat: non quinquaginta modo,*
quadrigentos filios habet atque omnis lectos sine probro.
eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus.
nunc Peramo nostro sist quis emptor, coemptionalem senem
uendam ego, uenalem quem habeo, extemplo ubi oppidum expugnauero.
sed Peramum adstantem eccum ante portam uideo; adibo atque adloquar.

---

[1]) *Perami* ubique restituendum est. cf. *Fleckeisenum* nou. annal 93 (1868) p. 8 adn., *Ritschelium* opusc. II p 498 adn.
[2]) sequebatur in codicibus *atque* moleste.
[3]) *mille* codd. conrexit *G. Hermann.*
[4]) *pedibus* codd. conrexit *Kampmann.*
[5]) *classe* codd.
[6]) *militum* codd.

Diasceuastae uidentur deriuasse sua ex graeco fonte, cum ipse Plautus aliquantulum ab eo recesserit. neque Menandro indigna sunt quae leguntur inde a uersu 945.[1]) credibile est igitur in graeco exemplari non Mnesilochum a patre orasse ut seruo ignosceret, sed ipsum Chrysalum dolis se liberasse (cf. uu. 950 ss. 964 ss.). uidetur porro apud Menandrum seruus reppulisse militem, ita ut afuerit talis actio, qualem habemus in uersu 573 ss., tum pugnam seni conseruisse, deinde miles ipsum conuenisse Nicobulum. supra etiam uu. 307 311—313 (335—336), ex Graeco exemplari decerptos, uenisse statuimus in locum genuinae Plauti recensionis. item Menandrum uidebatur imitatus esse, qui statim Lydum paedagogum ex aedibus meretriciis reduxit.

Sed redeamus ad actionem nostram. inde a uersu 989 duas inuenies recensiones, quas miro modo *Ritschl* in editione contaminauit.[2]) codicis B scripturam exhibet in adparatu critico, unde proficiscendum esse cognouit *Brachmann* (p. 137). recte etiam recensiones diuisisse mihi uidetur. sane nunc uix dici poterit utra Plauti sit: infra uidebimus.

Minus bene res ei successit in illis quae statim secuntur uersum 996. duas enim indicauit recensiones (p. 145 ss.), plau-

[1]) ineptos quidem uu. 945—952 *Wilamouitz* et *Kiessling* iudicauerunt (l. l. p. 15), tamen diligenter si perlegeris, uereberis ne praemature illi iudicium fecerint. neque enim inepte, sed comice scripti sunt. miles abducere uult meretricem: item Menelaus recipere in animo habuit Helenam ab Alexandro clam abductam, ut Mnesilochus meretricem secum inclusit nec iam militi reddere uult. ipse Chrysalus Agamemno est qui totam administrauit obpugnationem. miles eum adiuuat, nam cum mulier non daretur, ducentos sibi nummos a sene postulat, alteros ducentos nunc seruus seni eripere uult. quare non male dicit, quasi communiter se et militem obpugnare senem. comice etiam illa dicta *quoia* (Helenae) *caussa nunc facio obsidium Ilio*, nam non ut reddatur meretrix seruus senem adgreditur, sed ut eripiat ei pecuniam, quam det Mnesilocho, cui data opus est propter mulierem. ab eodem autem auctore et uersus 945 ss et uersus 953 ss. conscriptos esse puto. cumque plane ueri simile sit non ipsum diasceuastam uersus 953 ss. inuenisse, sed aliunde sumpsisse, etiam ea quae antecedunt ex eodem exemplari manasse facile concedemus.

[2]) aeque male locum tractauerunt *K. H. Weise* in edit. uol. I p. 168 et *Langen* l. l. p. 201.

tinam uersuum 997 1000 998 1001 999 1002—1006 1013—1024 1028 ss., diasceuastae 1007—1012 1025—1027 ss. sane uersus 1012 idem uidetur esse uersui 1018, quae leguntur in uersu 1002 ss. eadem redeunt in uersu 1026 ss., quae in uersu 997 ss., denuo proferuntur in uersu 1025 ss. tamen cauendum est. non satisfacit nobis altera illa recensio uersuum 1007—1012 1025 ss. sed hoc leuius sit, si recensio genuina Plauti recte uideatur constituta esse. quo tamen iure conturbat *Brachmann* uersuum ordinem a codicibus exhibitum? num credibile est uersus genuinos, si ordine positi fuerint quem probat ille, futurum fuisse qui tali pacto confunderet? lege autem primos *Brachmanni* uersus tres:

Nic. pater ducentos Philippos quaeso Chrysalo —
Chr. non prius salutem scripsit? Nic. nusquam sentio —
da, si esse saluom uis me aut uitalem tibi.

nempe *da* perbene auellitur a *Chrysalo*. sed audi relicuam epistulam:

stulte fecisse fateor. sed quaeso, pater,
ne me in stultitia si deliqui, deseras.
ego animo cupido atque oculis indomitis fui,
persuasum est facere quoius me nunc facti pudet:
quaeso ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
me obiurigauit plurumis uerbis malis
et me meliorem fecit praeceptis suis,
ut tu ei habere gratiam aequom sit bonam.
ego ius iurandum uerbis conceptis dedi
daturum id me hodie mulieri ante uesperum et cetera.

Plautine uidetur esse? immo talis si exstaret epistula in codicibus, audacter ausim facere lacunam tam inter uersus priores et uersum 1 — nam dicendum erat quid stulte fecisset, tum cur non ipse ad patrem uenisset aurumque peteret — quam inter uersus 8 et 9. uide tamen epistulam qualis in codicibus tradita sit. in uersibus 1007—1010 excusat se filius quodammodo, quia litteras patri per seruum miserit neque ipse uenerit: pudere se ipsum in patris conspectum prodire, qui sciat, quantum facinus filius fecerit. *quod cum peregrini cubui uxore militis* leguntur perbene, nam Nicobulus in actionis praecedentis fine

quamquam aurum militi promiserat, tamen cum seruus non iam adesset, numquam se temere quidquam crediturum Chrysalo contendit (u. 920 ss.), nunc si ipse filius confitetur se cum uxore militis peregrini adcubuisse, dubitare nequit, quin meretrix militis sit uxor, filius moechus manifestus (cf. uersum 1010). in uersibus qui secuntur filius fassus se stulte fecisse rogat patrem, ne se iuuentutis feruore ad facinus illud adductum deserat (1013—1016), praesertim cum iam Chrysalus se castigarit melioremque reddiderit (1019—1022). ita cum sperare possit patris iram aliquo modo esse sedatam, orat ut sibi ducentos det nummos Philippos, quibus quam ad rem uti uelit deinceps exponit (1028 ss.). optime igitur composita est haec epistula, neque ullus uersus a 1007 ad 1035 eiciendus, ne 1012 quidem, quamquam paene idem uidetur esse cum uersu 1018. omnibus enim in locis, quibuscumque Nicobuli uerba epistulae interseruntur, etiam Chrysalus loquitur, ac si uersibus 1007 ss. carere non licet, ne 1012 quidem expungemus sed Chrysalo loquaci condonabimus. sed opus est illis qui antecedunt uersibus 997 s., qui eadem fere exprimunt ac u. 1025 s.? hos retinendos esse dixi, nunc tuebor illos. nam uersus 1014 *ne me in stultitia si deliqui deseras* aperte spectat ad 997 s.

Tamen in uersibus 997—1035 duas habemus recensiones. post 998 exstant in codicibus haec:

malum quidem hercle magnum. — tibi dico Chr. quid est?
1000 *non prius salutem scripsit? Nic. nusquam sentio.*
1002 *Chr. non dabis si sapies; uerum si das maxime,*
ne ille alium gerulum quaerat si sapiet sibi,
nam ego non laturus sum, si iubeas maxime.
sat sic suspectus sum quom careo noxia.
1006 *Nic. ausculta porro dum hoc quod scriptumst perlego.*
1001 *Chr. inde a principio iam inpudens epistolast.*
1007 *Nic. pudet prodire* etc.

uersum 1001 transposuit *Acidalius* post 1000, probauit *Ritschl.* alium ut supra monui ordinem *Brachmann* sequitur. neutri adsentior. codicum scriptura indicat duplicem recensionem. ne morer, plautini sunt uu. 997—1000 1001 1007—1035 ss.,

recensio posterior hosce habuit: 997—999 1002—1006 1028—1035 ss.[1])

Confirmat sententiam, quod uu. 1002—1006 retractantur in 1027 1061 1063, neque enim talia putauerim bis terue a Plauto adferri. leuius fortasse est, quod diasceuastae tribuendi sunt ipsi uersus 1061 1062[2]), ubi *proin tu quaeras quid ferat* legimus, hic *ne ille alium gerulum quaerat sibi*, nam ab eodem uersus hi et illi scripti esse uidentur. specta etiam quanta cum artis defectione uu. 1002—1006 compositi sint: *si sapies* (u. 1002) et *si sapiet* (u. 1003), *si das maxume* (u. 1002) et *si iubeas maxume* (u. 1004).

Recensionem longiorem et breuiorem si recte hoc loco constitui, porro breuiorem si diasceuastae recte tribui, facile etiam recensiones diuersas in uersibus 989 ss. adparentes inter auctores diuidere possum. legitur enim in u. 995 *euge, litterae minutae,*[3]) quod nihil est nisi *euge, breuis epistula.* iam in altera recensione habes *cerae haud parsit neque stilo, sed quidquid est, perlegere certumst.* significant sine dubio longam epistulam. diasceuastae igitur priorem recensionem tribuemus hanc:

Chr. quid mé tibi adésse opus ést?
Nic. ut sciás, quae hic scrípta siént.

---

[1]) uersus 999 talis est in codice B:
malum quidem hercle magnum. — tibi dico. CRI. quid est?
lacuna indicat personae signum ante *tibi* excidisse, quod *CRI* fuisse demonstrant codd. C D Nicobulo *quid est,* Chrysalo *tibi dico* tribuentes. confirmat ipse cod. B, qui cum personae signum in uersus initio omiserit, eidem haec adsignauit *malum quidem hercle magnum,* cuius uersus antecedentes uoluit esse. restituemus igitur archetypi lectionem:
(Nic.) malum quidem hercle magnum. Chr. tibi dico. Nic. quid est?
melius profecto ipse Nicobulus dicit malum esse magnum, quod ducentos alteros Philippos filio dare oporteat, quam seruus, malum magnum esse quod non prius salutem scripserit filius.

[2]) cf. *Brachmannum* l. l. p. 148. qui uersus 1061 1062 substitutos esse pro 1063—1065 recte coniecit *adcipiam* post *cape tibi aurum* et ante *cape uero* non est sine offensione, Plautus quidem scripsit *capiam,* tum minus bene scriptum est *cape uero, odiose facis.*

[3]) *litteras minutas* codd. iniuria *Langen* l. l. p. 201 in suspicionem uocauit *euge.* flagitatur propter metrum. iam quidni senex gaudere potuit de epistula breui? fortasse oculis parum uidit?

Chr. nil móror neque scíre uoló.
Nic. tamen ádes. Chr. quid opúst? Nic. taceás,
quod iúbeo id fácias. Chr. ádero
Nic. euge, litterae minutae. Chr. qui quidem uideat parum,
uerum qui satis uideat, grandes satis sunt. Nic. animaduortito igitur.

posteriorem Plauto:

Cru. quid mé tibi adésse opus ést?
Nic. uolo ut quód iubeó faciás.
Cru. nólo inquam. Nic. at uolo ínquam. Cru. quid opust?
Nic. át enim quod te iúbeo facias.
Cru. iústumst tuos tibi séruos (semper) tuo árbitratu séruiat.
Nic. hoc áge sis nunciam. Cru. úbi lubet recita. áurium operam tibi dico.
Nic. cérae haud parsit néque stilo, sed quídquid est perlégere certumst.

Etiam eorum quae secuntur uersum 1035 recensiones exstant diuersae.[2]) sensus hiat inter uersus 1040 1041. debebant in initio orationis poni uu. 1041 ss.; quod est in uersu 1039 *si in istoc sim loco* post 1043 melius ponitur, ut antecedant *duae condiciones sunt, utram adcipias uide*, sequantur *si in istoc sim loco*, ut alteram utram mihi sumere possim condicionem sicut nunc tu. denique uersui 1040 respondet 1042. diuersas igitur habemus recensiones: uersuum 1036—38 unam, alteram uersuum 1041—1043+1039—1040. utram recipiemus plautinam? certe posteriorem.[2])

Quae deinde leguntur sine caussa conturbauit Brachmann.[3])

---

[1]) tractauit hunc locum *Brachmann* (p. 145 ss.), qui plautinos sumit uu. 1036—1040+1047—1049, recentiores 1041—1046.

[2]) uu. 1041 1045 propter numerorum quem putat languorem *Brachmann* (p. 146) interpolatori adscribere noluit. ipse adpellauit *Ritschelium* prolegomenon p. 285, quem uideas quaeso. ceterum non repugno si cui Terentius hunc locum imitatus esse uidetur in Heautontimor. II, 3, 84 ss. Umpf.:

aut haec cum illis sunt habenda aut illa cum his mittenda sunt.
harum duarum condicionem nunc utram malis uide,
etsi consilium quod cepi rectum esse et tutum scio.

[3]) quasi secum loquens inducitur Nicobulus. quare male etiam *Vssing* in editione uu. 1045—1046 posuit post 1048. melius posuisset post 1049, sed nil in codicum lectione mutandum est.

recte hoc animaduertit uu. 1045 1046 tribuendos esse Nicobulo. bene intelleges sic scripta:

1044 *Nic. miseret me illius. Cru. tuos est, non mirum facis.*
Nic. si plus perdundum sit, perisse suauiust,
quam illud flagitium uolgo dispalescere. —
ne ille edepol Ephesi multo mauellem foret
dum saluos esset, quam reuenisset domum. —
1049 *quin ego, istic quod perdundumst, properem perdere?*

In actionis fine codices hunc praebent uersuum ordinem:

1067 *Chr. curatumst — esse te senem miserrumum.*
hoc est incepta efficere pulcre; ut nunc mihi
euenit ut ouans praeda onustus cederem.[1])
1070 *salute nostra atque urbe capta per dolum,*
domum reduco (iam) integrum omnem exercitum.
sed spectatores uos nunc ne miremini
quod non triumpho. peruolgatumst, nil moror.
uerum tamen adcipientur mulso milites.
1075 *nunc hanc praedam omnem iam ad quaestorem deferam.*

Senserat aliquid *Brachmann* cum scripsit (p. 148) *ualde incertum rursus uidetur num uersus 1070—1071 pro retractatione habendi sint uersuum 1068—1069. commodius sane alterutro pari uersuum caremus.* incertum sane hoc.[2]) uersus enim 1070 1071 diuelli nequeunt ab iis qui secuntur, ne sententia fiat quasi corpus sine capite. at claudicant post uu. 1068—1069. non modo claudicant, sed alieni sunt ab eo qui scripsit uu. 1068 s.: adcepit seruus a sene pecuniam, iam quasi imperator e bello redit; et quod longiore exposuit oratione Plautus in uersibus 1070 1071, breuiter paucis uerbis diasceuasta comprehendit *ut nunc mihi euenit.* porro u. 1069 male exstat ante 1072 s. *ne miremini quod non triumpho.* sane diuersa est et ratio et notio ouandi a triumphando (cf. Gellium

---

[1]) ita uersus uidentur conrigendi. *incederem* in libris uerbum insolentius *cederem* expulit. in priorem uersum neque *uel* neque *ueluti* quadrat, cf. *Langenium* l. l. p. 76, cuius e coniectura scripsi *ut nunc. uti nunc* dudum proposuerat *Guyetus.*

[2]) uu. 1072 1073 ab ipso Plauto ad suae aetatis fastidium triumphorum adhibitos esse negauit *Osann* (*Anal. critic.* p. 182), qui abiecit uersus 1072—75. sed lege *Ritschelium Parergon* p. 425 ss.

V, 6, 21) ille igitur, qui ouat, non triumphat. sed legimus in uersu 1069 *euenit ut ouans praeda onustus cederem.* itaque non sua sponte ouans incedit, sed *euenit* ut ouans incederet. porro u. 1074 superuacuus esset post 1069 1073, cum etiam ille, qui ouat, mulso milites adcipiat. denique cum et uersus 1075 male subiungatur uersui 1074 et hoc uersu 1074 orationem concludi cupiamus, probabile est duas exstitisse recensiones:

A.

1067 *Cru. Curatumst — esse te senem miserrumum. —*
1070 *salute nostra atque urbe capta per dolum*
domum reduco (iam) integrum omnem exercitum.
sed, spectatores, uos nunc ne miremini
quod non triumpho: peruolgatumst, nil moror.
1074 *uerum tamen adcipientur mulso milites.*[1]

B.

1067 *Chr. Curatumst — esse te senem miserrumum. —*
hoc est incepta efficere pulcre. ut nunc mihi
1069 *euenit ut ouans praeda onustus cederem.*
1075 *nunc hanc praedam omnem iam ad quaestorem deferam.*

Facile autem intellegemus, cur ille, qui fabulam retractauit, non adoptarit uersus 1070—1074. populus enim quo spectarent uu. 1072 ss. tum nesciebat.[2]

---

[1]) uersum 1075 imitatus est diasceuasta cum scriberet: *nunc alteris etiam ducentis usus est capto Ilio qui dispensentur ut sit mulsum qui triumphent milites* (u. 971 s.).

[2]) ne illud quidem omittam: u. 1053 non posse legi simul cum uersu 1054 *Brachmann* credit (p. 147). redundare uersum 1054 praecedente 1053, respuere aures male repetitum in exitu uersus nomen Pergami. quare misellum nominarit 1054 non uideo. nam quae adtulit exemplaria ad quae hic uersus compositus sit, si inspicimus, u. 987 ipse supra a Plauto abiudicaui, uerum etiam si genuinus esset non ad hanc rem faceret. legitur in illo etiam *nunc superum limen scinditur,* itaque par esset expelli simul uersum priorem 1053. in uersibus 944 947 *exitium* adhibetur a poeta. non debuit hos adferre *Brachmann*, quorum alter (947), ut ipse nos docet, a Plauto profectus non est. neque diasceuastae potest esse u. 1054, cum non uideamus qua de caussa ille pro genuino uersu hunc unum subposuerit, neque interpolatoris eum esse umquam crediderim. optime enim seruus, cum uersu 1055 ss. de se ipse loquatur laude magna digno, etiam in uersu 1054 dicit: *scio fuisse me exitium*

Act. V, 1.

In actus quinti actione prima Nicobulus a foro rediens inducitur. ualde iratus incedit, postquam a milite audiuit feminam, quacum filius adcubuerit, non esse uxorem militis, sed meretricem, seque a seruo esse auro emunctum. quare dicit in uersu 1089 s.:

solus ego omnis longe antideo stultitia et moribus indoctis.[1])
perii, pudet, hocine me aetatis ludos bis factum esse indigne!

quibuscum qui sequitur uersus quo iure conexus sit non intellego: neque enim iam lamentatur, quod ipse ludificatus sit sed quod filius conruptus; idem cantat quod senex alter in uersu 1076 *quas meus filius turbas turbet.* redit ad rem in uersu 1094 neque in tota actione reliqua quidquam queritur de filio, sed tantum de serui flagitio suaque stultitia. quin in uersu 1112 ss. non filium, sed Chrysalum qui filium perdiderit turbasse omnia ipse indicat. iam uersus 1090 idem fere est uersibus 1100 1101, u. 1092 male cohaeret cum antecedente, denique in uersu 1090 bis se ludos factum esse deplorat senex, cum in uersu 1096 ss. de posteriore tantum dolo Chrysali loquatur. habemus ut mihi quidem uidetur recensiones diuersas: diasceuastae breuiorem uersuum 1087—1089+1090—1091: qui orationem Nicobuli studuit contrahere, cum Philoxenus iam in scaena adesset. qui restant uersus 1087—1089 1092 ss. nunc bene inter se cohaerent. comparare etiam licet simillimos uersus Persae 778 ss.

qui sunt qui erunt quique fuerunt quique futuri sunt posthac,
solus ego omnis antideo facile miserrumus hominum ut uiuam.
perii, interii, pessumus hic mihi dies hodie inluxit conruptor,
ita me Toxilus perfabricauit itaque meam rem diuexauit etc.

quorum duo priores respondent uersibus Bacch. 1087—1089, tertius uersui 1092, quartus uersui 1094.

Pergamo. neque quod uterque uersus desinit in *Pergamum* offendit. uelut huius fabulae uersus 388 et sequens incipit uterque ab *Epheso: nam ut in Ephesum, ex Epheso.* Trinummi u. 86 desinit in *suspicarier,* u. 87 in *suspicer;* 205 206 in *sciunt;* 320 321 in *frugi bonae;* 347 348 in *feceris;* 408 409 in *cito;* 438 439 in *facit;* 468 469 in *uenerit — obuenerit;* 502 503 in *spondeo;* 903 904 in *longior;* al.

[1]) *moris, Hermann;* codd. *indoctis* recte.

Iam tertiam in uersibus 1092—1103 deprehendi posse existimo recensionem.

Initio actionis coniungenda ut uerborum tempora docent:

perditus sum atque eradicatus.
omnibus exitiis interii

rursus:

omnia me mala consectantur,
omnibus exemplis excrucior.

Plauti suspicor esse priora membra. porro *Chrysalus me miserum spoliauit* superuacuum ante *is me scelus auro usque adtondit.* cohaerere uidetur cum *omnia me mala consectantur* etc. iam uersus 1100 idem est ac uersus 1101: *me hoc aetatis ludificari* idem atque *cano capite atque alba barba* — *me ludos factum. hoc est demum quod percrucior* quasi auget quod antedictum erat *hoc hoc est quod cor peracescit.* iam cum dici desideremus quid cor peracescat, quid demum ipse percrucietur senex, sic distribuenda mihi uidentur singula membra:

hoc hoc est quod (cor) peracescit
miserum me(d) auro esse emunctum.
immo edepol sic ludos factum
cano capite atque alba barba.

et

hoc hoc est quod (cor) peracescit
miserum me(d) auro esse emunctum.
hoc est demum quod percrucior
me hoc aetatis ludificari.

Ceterum totum canticum plautinum ita restituendum duco:

NICOBVLVS · PHILOXENVS
SENES

Nic. Quicúmque ubiubíque sunt, quí fuerínt, quiqué futurí sunt pósthac 1087
stultí stolidí fatuí fungí bardí blenní buccónes:
Solús ego omnís longe ántideó 1089
stultítia et móribus índoctís.
perdítus sum atque éradícatús, $1092/_1$
omníbus exítiis ínterií. $1093/_2$
(ita) Crúsalus me hódie lácerauít: $1094/_1$
is mé scelus aúro usque ádtondít 1095
dolis dóctis índoctum út lubitúmst.
ita míles mémorat méretricém

esse eám quam ille úxorem ésse aibát.
omníaque ut quídque actúmst memorát:
eam síbi (esse) hunc ánnum cónductám,
relicúom id aurí factúm quod ego eí
stultíssumus hómo promísissém.
hoc hóc est quód (cor) péracescít: $1099/_1$
miserúm me(d) aúro esse émunctúm, $1101/_2$
immo édepol síc ludós factúm $1100/_2$
canó capite átque albá barbá. $1101/_1$
Perii. hóc seruóm meum nón naucí facere ésse ausum. átque ego, si álibi 1102
plus pérdiderím, minus aégre habeám minusque íd mihi dámno dúcam
Phil. Certe híc prope mé mihi néscio quís loqui uisust. séd quem uídeo?
hic quídemst pater Mnésilochi. Nic. eúge, (ego) sócium aerúmnae et meí mali uídeo. 1105
Philoxéne salue! Phil. ét tu! Nic. unde ágis? Phil. unde hómo miser átque infórtunátus.
Nic. at pól ego ibi sum, ésse ubi miserum hominém decet átque infórtunátum.
Phil. igitúr pari fórtuna, aétate út sumus, útimur. Nic. síc est. Phil. séd tu!
quíd tibíst? Nic. pól mihí pár idémst quód tibí.
Phil. númquidnam ád filiúm
aégritúdo haec ádtinét? 1110
Nic. ádmodum. Phil. ídém mihi mórbus ín péctorést.
Nic. át mihí Crúsalús
óptumús homo pérdidít
filiúm, me, átque rem ómném meám.[1])
Phil. quíd tibi éx fílió nam, óbsecro, aégrést? Nic. sciés:
ís perít cúm tuo. aéque ámbo amícás habént. 1115
Phil. quí scis? Nic. uídi Phil. heí mihí! dispérii!
Nic. quíd dubitamus púltare atque huc éuocare ambós foras?
Phil. haúd moror. Nic. heus Bácchis, iube sis áctutum aperirí foris,
nísi mauoltis fóris et postis cómminui secúribus.

Act. V, 2.

Adgrediamur nunc ad totius fabulae actionem ultimam, pulcerrimam illam quidem, sed ualde temptatam a diasceuasta.[2])

Tripartitam habemus actionem: in parte prima Bacchides

---

[1]) his in uersibus qui duplicem recensionem inesse uel posse putat, non intellegit uersus.

[2]) cf. *Brachmanni* dissert. p. 149 ss.

ex aedibus egressae conlocuntur inter se in uersibus 1120—1140, in parte altera adcedunt senes, fit secretum consilium in uersibus 1140—1165, postremo senes intro iniciuntur a meretricibus in uersibus 1165—1206.

In actione prima uersum 1131 si comparamus [1]) cum uersu 1139, uersum 1136 cum uersibus 1122—1123, dittographiae clarum nobis exemplum adparebit. Plautus enim easdem sententias iisdem fere uerbis intra paucos uersus repetere non solet. iam uerba *non uides* (u. 1136) qui scripsit, nouam sententiam antea non adhibitam adferre uoluit. uersum 1138 non concordare cum re gesta *Brachmann* l. l. p. 151 monuit, cum quater in antecedentibus uersibus uerba senes fecerint: 1121 1122 1125 1126 1132. deinde uersum 1132 non licet conectere cum superioribus. exspectamus ut ponatur post uersum 1122 *ouis nos uocant pessumae*, uel post 1125 *ut uidentur deridere nos.* nunc quinque uersibus interpositis non intellegimus *merito hoc nobis fit.* denique quo sententiarum uinculo uu. 1123 et 1124 continentur? non enim quadrat u. 1124, sicut eum *Ritschl* conrexit: *at hau pol nitent. sordidae ambae uidentur.* quasi oues si solae grassentur niteant. sed sordidae ambae uidentur quod tonsae sunt? immo tonsae oues nitent neque squalent. codices praebent talem uersum, qualis certe cum uersu 1125 coniungi potest: *at pol nitent. haud sordidae uidentur ambae.* sed ne haec quidem cum uersu 1123 apte coeunt. debuit enim Bacchis uerbis respondere sororis, quae dixerat uideri pastorem harum dormire cum hae oues non squalerent (cf. uersum 1129 *uetulae sunt minae ambae. Bac. at bonas fuisse credo*), quae inepte sane dicerentur. ferremus si ante dictum esset pastorem illis omnino uideri deesse. denique inter uersum 1128 et 1129 sensus hiat. nam quo iure oues, quae ter in anno detondentur, dici potest esse uetulas minas?

Duas indicauit recensiones *Brachmann* diss. p. 151, priorem ac plautinam uersuum 1122—1132, posteriorem ac dia-

[1]) cf. eundem l. l. p. 150 adnot. 1.

sceuastae uersuum 1133—1139. nam uu. 1133 1134 plane pugnare arbitratur cum uersibus 1149 ss., ubi Bacchis sorori dicit senes se uelle intro inlicere. cui tamen non adsentimur. nam prius soror dicere potuit se putare melius sinere illos adstare, postea cum condicio alia facta sit aegre patitur senes recipi. cf. uersum 1152 *meum pensum ego lepide adcurabo, quom odiosumst mortem amplexari.* denique si diasceuastae tribuemus uu. 1133 et 1134, eidem inpertiemus etiam uitium quod putauit *Brachmann* abiudicandum esse a Plauto. omnibus respectis tres constituemus huius loci recensiones:

A.

1120 *Bac. Quis sónitu ac tumúltu tantó pultat aédis?*
1121 *sor. quid hóc est negóti? nam amábo quis hás huc*
ouís adégit?
1133 *Bac. cogántur quidem íntro! sor. hausció quid eo opús sit.*
quae néc lacte néc lanam habént sic sine ádstent.
exsóluere, quánti fuére, omnis frúctus
iam illís decidít. nón uidés ut palántes
soláe liberáe
grasséntur? quin aétate crédo esse mútas:
ne bálant quidém quom a pecú cetero ábsunt.
stultae, haúd malaé uidéntur.
1140 *Bac. reuórtamur íntro sorór! Nic. ilico ámbae*
manéte! haec oués uolúnt uos.
1141 *sor. pródigium hoc quidémst, humana nós uoce adpellánt oues.*
1142 *Phil. haéce oues uobís malam rem mágnam quam debént dabunt.*

B.

1120 *Bac. Quis (mé) nominát nomine átque púltat aédis?*
1121 *Nic. ego átque hic. sor. quid hóc est? quis hás ouís adégit?*
1122 *Nic. ouís nos uocánt pessumáe! Bac. pastor hárum*
1123 *dormít, quom hac eúnt a pecú palitántes.*
1129 *sor. uetulaé sunt minae ámbae. Bac. at bonás fuisse crédo.*
sor. uidén limulís obsecro út contuéntur?
1131 *Bac. ecástor sine ómni arbitrór malitia ésse.*
1133 *cogántur quidem íntro! sor. haud sció quid eo opús sit.*
1134 *quae néc lacte néc lanam habént: sic sine ádstent.*
1140 *Bac. reuórtamur íntro sorór! Nic. ilico ámbae*
manéte! haec oués uolúnt uos.
1142 *Phil. haéce oues uobís malam rem mágnam quam debént dabunt.*

C.

1120 *Bac. Quis (mé) nominát nomine átque púltat aédis?*
1121 *Nic. ego átquĕ hic. sor. quid hóc est? quis hás ouís adégit?*
1122 *Nic. ouís nos uocánt pessumaé! Bac. at pol nitént, haud*
1124 *sórdidae uidéntur ambae.*
1125 *sor. adtónsae quidem ámbae usque súnt. Phil. ut uidéntur*
derídere nós. Nic. sine suo úsque arbitrátu.
Bac. rerín ter in annó tu has ouís tonsitári?
1128 *sor. pol hódie alterá iam bis détonsa cértost.*
1132 *Phil. merito hóc nobis fít qui quidem húc uenerímus.*
1133 *Bac. cogántur quidem íntro!*

et cetera, ut in recensione B. recensio A sine dubio plautina est

In recensione B uide quam arte nunc omnia cohaereant. u. 1129 excipit uersum 1123. nam cum uetulae sint oues, non iam a pastore cum ceteris continentur. imitatus est diasceuasta uersus plautinos 1135 ss., in quibus oues quia fructus illis deest iam solae grassantur sine pastoris cura.

Versuum nostra distributio confirmari uidetur etiam personarum signis codicis B, in quo u. 1124 tribuitur Bacchidi, 1125 sorori, 1128 eidem, 1129 *at bonas fuisse credo* Bacchidi, 1130 sorori, 1131 Bacchidi.[1]) adparet uersum 1119 *uetulae sunt minae ambae* adsignandum esse sorori. seruabimus igitur codicis B lectionem, quae in duobus tantum uersibus conrigenda est. in uersu enim 1122 ille praebet *Sor. pastor harum*, sed Bacchidi haec magis conueniunt, cum mitius iudicet de senibus Bacchis, acerbius soror cf. uu. 1124 1125 1129 1130 1131 cet. tum etiam u. 1121 *quid hoc est negoti? nam amabo quis has huc ouis adegit?* sororis est.

Etiam in actione media omnes credo difficultates posse tolli.[2]) primum offendit quod Bacchides, postquam de iis quae facienda essent inter se locutae sunt (u. 1153), tacentes diu adstant ac senes conloqui patiuntur, ipsae demum in uersu 1166 adcedunt. atqui crederes, dum inter se senes orationem habe-

[1]) codicis B lecturam: *Haec castor* bene emendauit *Brachmann: Bac.ecastor.*
[2]) tractauit locum *Brachmann* l. l. p. 176 ss.

rent etiam meretrices secreto inter se agere, nisi nos doceret uersus 1153 secretum illarum consilium iam ad finem uergere. porro miramur statim cedere sororem sententiae ac uoluntati Bacchidis, quamquam non multo ante (u. 1134) dixerat, non opus esse senes adlici. iam quae legimus in uersu 1150 *possumus nos hos intro inlicere huc* suadent antea Bacchidem exposuisse sorori senes esse perducendos. denique quamquam Bacchis dicit sorori in uersu 1151 *ego ad hunc (magis) iratum adgrediar,*[1]) adgreditur demum in uersu 1166 *sequere hac. Brachmann* l. l. p. 178 secretum meretricum conloquium interiisse putat aut a diasceuasta deletum esse. cuius sententiam ego non probo, quod ut dixi offendunt sorores ambae tacitae adstantes usque ad uersum 1166 ss. equidem uersuum ordinem plautinum hunc fuisse arbitror: 1149+1155—1165+1154[2])+1150—1153+1166 ss. diasceuasta omisit totum senum conloquium, praeteriit etiam talia, qualia legimus in uersu 1166 *eunt eccas tandem.*

Ordine hoc restituto bene uersus procedunt. incipit secretum meretricum consilium inde a uersu 1149 *quo illaec abeunt?* sequitur conloquium senum. interea Bacchis sorori exponere potest et persuadere ut se adiuuet. ipsae propius adcedunt meretrices in uersu 1150 ss.:

Bac. Senem illum tibi dedo ulteriorem
lepide ut lenitum (iam) reddas,
ego ad hunc (magis) iratum adgrediar.
possumus nos hos intro inlicere huc.
sor. meum pensum ego lepide adcurabo,
quom odiosumst mortem amplexari.
Bac. facito ut facias. sor. taceas. tu tuom
facito, ego quod dixi haud mutabo.
Bac. sequere hac. Nic. eunt eccas tandem.

Restat nunc tertia pars, ne illa quidem ab interpolationibus libera.

[1]) *nunc* additum est ab *Hermanno.* flagitamus tamen *magis* aut simile quid.
[2]) in uersu 1154 conrigendum uidetur pro *duae: diu.*

Recensionem duplicem facile credideris inesse in uersibus 1172—1181;[1]) eaedem enim sententiae repeti uidentur: u. 1172 *ni abeas* in uersu 1176 *abin a me scelus?*, u. 1174 *hic magis tranquillust* in uersu 1177 *ego quidem ab hoc certe exorabo*, u. 1175 *i hac mecum intro* in uersu 1181 *i hac mecum intro*. sed cauendum, interpretanda singula. meretrix primum orat, ut ipsarum delictum, quod filios secum incluserint aedibus, senex ignoscat, qui adhuc non ita uehementer iratus clementius loquitur et mitius: *ni abeas quamquam tu bella es* etc.[2]); tum senex, a meretrice callida rogatus ut intret, intusque iam filium, non se uerbis uellicet, male dicere incipit: *abin a me scelus?*, deinde Philoxeno a sorore capto ipsa quoque Bacchis apertius quid uelit exponit: *i hac mecum intro, ubi tibi sit lepide uictibus uino atque unguentis*. ne unum quidem uersum credo bene omitti. uide etiam uerba Philoxeni in uersu 1177 *immo ego te oro ut me intro abducas*. adparet sororem iam ut secum intraret precatam esse. tum mirum esset, si Bacchidis illa et Nicobuli uerba in uersu 1176 *sine mea pietas te exorem* et *exores tu me?* referenda essent ad uersum 1171, sequentia autem uerba sororis sic intellegenda: *ut mecum intret*.

Verum in illis quae secuntur aliena cognosci possunt. nam qui uersus apud *Ritschelium* est 1201 in codicibus positus est post uersum 1190. inepte, si quidem subiunguntur uu. 1191 ss. hoc quidem loco duplicem recensionem inueniri suspicor.[3]) sane uersu 1190 non licet carere, quoniam *illo* in uersu 1191 ostendit antea *filium* esse nominatum. uersu 1192 ss. alia dici ac uersu 1188 ss. luce clarius est.[4]) equidem diasceuastae uersum 1201

[1]) cf. *Brachmann* l. l. p. 169 ss.

[2]) optime conuenit ei u. 1174, quem male Philoxeno tribui iussit *Brachmann* l. l. p. 169, nam exspectamus Nicobuli ad Bacchidis uerba responsum. soror quod deinde dicit *hic magis tranquillust*, eodem modo *hic* adhibetur hoc loco ac posteriore *ab hoc certe exorabo* (u. 1177).

[3]) male res successit *Brachmanno* l. l. p. 172.

[4]) non intellego, quomodo *Brachmann* contendere potuerit esse eadem cf. l. l. p. 171 *quibus bis idem illud, ut diem carpat Nicobulus, suadetur*.

tantum adscripserim, qui coniungens eum cum uersu 1190 praetermiserit sequentia. ipse uersus 1201 (1190a) male conscriptus est, quia *utut est* idem indicat atque *etsi est dedecori* neque *patiar* satis conuenit cum *facere inducam animum*.

Iam adcedamus ad extrema. duo exstant exitus actionis: *it dies* idem quod *uesper hic est*, *ite intro adcubitum* idem ac *sequimini*. deinde inter uersum 1196/1 et 1196/2 hiat sensus. non intellegitur *istaec fiunt*[1]) neque in uersu 1197 *tuost. unde illum sumere censes, nisi quod tute illi dederis*, praesertim cum antecedat *ne obnoxius filio sim et seruo*, sequatur *hanc ueniam illis sine te exorem*. quare ego uersum 1196/2 et 1197 reliquias alterius existimo esse recensionis, plautinae conexum hunc: *ne obnoxius filio sim et seruo. Bac. ueniam illis sine te exorem.* denique 1203 *quod semel dixi haud mutabo* a Plauto aliena iudicabimus, qui eadem ipsa uerba supra adhibuit in uersu 1153. eiusdem esse qui composuit uersum 1201 plane mihi ueri simile est. coniuncti fuerunt in illius recensione uersus hi:

1201 *Nic. age iam, utut est, etsist dedecori, patiar, facere inducam animum.*
1202 *Bac. satin ego istuc habeo firmatum?*[2])
1203 *Nic. quod semel dixi haud mutabo.*
1205 *Bac. uesper hic est* etc.

Reliquiis tertiae recensionis segregatis his:

1196/2 *Bac. mel meum amabo istaec fiant.*
tuost. unde illum sumere censes, nisi quod tute illi dederis,

plautina quae restant ita constituo:[3])

Bac. Sequere hac. Nic. eunt eccas tandem. 1166
probri perlecebrae et persuastrices 1167
quid nunc? etiam redditis nobis
filios et seruom, an ego experior
tecum uim maiorem? Phil. abin hinc?
non homo tu quidem es, qui istoc pacto
tam lepidam inlepide adpelles.

[1]) *mitte Seyffert* in *Studior. plautinor.* p. 14, *Brachmann* l. l. p. 168 posuit *sinito*.

[2]) codd. male *offirmatum*, quod superiori loco, non huic aptum erat.

[3]) codicum scripturam *Brachmann* l. l. p. 157 s. exhibuit, quem adeas quaeso.

Bac. senex optume, quantumst in terra, 1170
sine (med) hoc exorare abs te,
ut istuc delictum desistas
tanto op*e*re ire obpugnatum.
Nic. ni (a me) abeas, quamquam tu bella es
malum tibi magnum dabo iam. Bac. patiar.
non metuo ne quid mihi doleat
quod (tu) ferias. Nic. ut blandiloquast.
hei mihi metuo! sor. hic magis tranquillust.
Bac. i hac mecum intro atque ibi, si quid uis, 1176
filium concastigato.
Nic. abin a me scelus? Bac. sine mea pietas
(te) exorem. Nic. exores tu me?
sor. ego quidem ab hoc certe exorabo.
Phil. immo ego te oro ut me intro abducas.
sor. lepidum te. Phil. at scin quo pacto me
ad te intro abducas? sor. mecum ut sis.
Phil. omnia quae cupio commemoras.
Nic. uidi ego nequam homines, uerum te 1180
neminem deteriorem. Phil. ita sum.
Bac. i hac mecum intro ubi tibi sit lepide
uictibus uino atque unguentis.
Nic. satis, satis iam uostrist conuiui,
me nil paenitet ut sim adceptus.
quadrigentis Philippis filius me
et Crusalus circumduxerunt.
quem quidem ego ut (nunc) non excruciem
altrum tantum auri non meream.
Bac. quid tandem si dimidium auri redditur? isne hac mecum intro? 1185
atque ut eis delicta ignoscas (potin animum inducere?) Phil. faciet.
Nic. minime, nolo, nil moror, sine sic, malo illos ulcisci ambo.
Phil. etiam tu homo nihili quod di dant boni caue culpa tua amissis.
dimidium auri datur, adcipias potesque et scortum adcumbas.
Nic. egon ubi filius conrumpatur meus ibi potem? Phil. potandumst. 1190
Nic. egon quom haec cum illo adcubet inspectem?
Bac. immo equidem pol tecum adcumbam,
te amabo et te amplexabor.
Nic. caput prurit! perii! uix negito.
Bac. non tibi amabo uenit in mentem,
si, dum uiuas, tibi benefacias,
iam pol id quidem esse haud perlonginquom,

neque, si hoc hodie amissis, post(hac)
(tibi) id euenturum esse umquam?
Nic. quid ago? Phil. quid agas rogitas etiam? 1195
Nic. lubet et metuo. Phil. quid metuis?
Nic. ne obnoxius filio sim et seruo.
Bac. hanc ueniam illis sine te exorem!
Nic. ut terebrat! satin offirmatum
quod mihi erat id me exorat?
tua sum opera et propter te inprobior. Bac. ne tis quam mea mauellem. 1200
(Nic. age iam, etsist dedecori, patiar.) Bac. it dies; ite intro adcubitum.
filii uos exspectant intus. Nic. quam quidem actutum emoriamur. 1204
Bac. lepide ipsi hi sunt capti suis qui filiis fecere insidias. 1206

Haec si recte constitui, non opus est adnotationes longas adnectere; sin minus, superuacuum est falsa falsis confirmare. hoc tamen addam, extremae huius actionis periodos Plautum mihi uideri non sine certa ratione diuisisse.

Typothetae errores paene innumeros conrigentem me nonnulli effugerunt. praeter alios emendes

p. 5 u. 3 sup. adsignandos
u. 8 sup. locus
p. 10 u. 14 sup. 151
u. 15 sup. mutauit
u. 2 inf. uersibus
p. 12 u. 10 sup. *extexam*
p. 17 u. 9 sup. 359
p. 20 u. 8 inf. uersuum
p. 24 u. 9 sup. *incedere?*
p. 24 u. 13 sup. *cernitur,*
u. 14 sup. *quoiquoimodi.*[*])
p. 26 u. 11 sup. *Lyd.*, similia
p. 27 u. 6 inf. litterarum.

VITA MEA QVALIS ADHVC FVERIT PAVCIS EXPONAM

Natus sum *Augustus Eduardus Anspach* Kal. mai. anni h. s. LX *Schiersteini*, qui uicus situs est ad *Rhenum* prope *fontes mattiacos*. patre Georgio, matre Luisa adhuc superstitibus ualde gaudeo. fidei addictus sum euangelicae. puer nouem annorum cum parentibus *Vilburgum* transmigraui, ubi anno post gymnasii alumnis adscriptus sum. iam maturitatis quod dicunt testimonio instructus autumno anni h. s. LXXVIII ad almam Musarum sedem *bonnensem* me uerti, philologicis et historicis studiis operam nauaturus. ubi per triennium docuerunt me uiri clarissimi *Aufrecht*, *Bernays*, *Buecheler*, *Klein*, *Leo*, *Maurenbrecher*, *Menzel*, *I. B. Meyer*, *Schaarschmidt*, *Schaefer*, *Vsener*, *Witte*. in proseminario quod dicitur philologico *Leone* praeceptore per sex menses antiquos tractaui scriptores. ut seminarii philologici sodalis essem ordinarius per tria semenstria benigne concesserunt *Buecheler* et *Vsener*. in historica seminaria *Menzel* et *Schaefer*, hic per quater, ille per bis sex menses me cum comitate receperunt: exercitationibus epigraphicis admisit me *Buecheler*. quibus uiris omnibus ago quas debeo gratias; praecipue *Buechelerum Schaeferum Vsenerum* pia semper memoria colam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I In Sen. ep. 61, 2 scribendum est: *ante senectutem curaui ut bene uiuerem, in senectute (curo) ut bene moriar.*

II In eiusdem ep. 113, 4 mutandum est: *ego et animal sum et homo, non tamen duos esse hos dices.* codices: *nos.*

III In Milite glorioso plautina u. 117 iniuria *Ribbeck* in editione parenthesin uoluit esse *fit quod di uolunt.* ita enim uersus scribendus:

ubi sumus prouecti in altum, fit quod di uolunt:

IV In eadem fabula diuersas constituo recensiones uersibus 599—600 et 601—605 editionis ribbeckianae.

V In Sophoclis Aiace eiciendi uersus 842 850—851. tum Aiacis orationis singulae periodi ita inter se respondent:

4+4+8+4+4+5+5+2+5+5+2

VI Asinariae plautinae uersus 275 (ed. Goetz. Loew.) ita restituendus est:

mea quidem hercle (tu) opera liber numquam fies ocius.

VII Truculenti plautinae u. 225 ed. Schoell. ita supplendus est:

(immo frugi) meretricem esse similem sentis condecet.

VIII Recte Nonium p. 88, 32 Lucilii uerba seruasse puto haec: *tibi porro istaec res idcirco est cordi quod re(re) utilem.* in iis quae antecedunt: *idemque si* latere puto *idem lib.* et numerum.

IX In Q. Curtii Rufi Histor. Alex. Mac. l. V, 10 lacunam esse statuo ante paragraphum 5: *sed periti locorum* etc.

X In uita Terentii Suetoniana p. 32, 13 ed. Reifferscheid. ita uerba restituo: *A. Cosconius redeuntem e Graecia perisse in mari dicit cum (nouis) fabulis conuersis a Menandro. ceterum mortuum esse Stymphali siue Leucadiae tradunt.*